BERLINER BEITRÄGE
ZUR
KLASSISCHEN PHILOLOGIE
VERÖFFENTLICHT VON DR. EMIL EBERING.
I.

DE ANAXIMENIS LAMPSACENI VITA ET SCRIPTIS

SCRIPSIT

DR. GUST. REICHMANN.

BEROLINI
IN AEDIBUS CAROLI VOGT
1895.

Conspectus.

I.

II.

Corrigenda.

p. 11, v. 18 lege: constat — p. 12, v. 5 adn. 2: *ὕστερον* — v. 6 adn. 2: *ἐς* — p. 15, v. 19 adn. 2: *πρὸς* — p. 17. v. 10: *εἰς* — p. 23, v. 14: fuit, — p. 24, v. 2 adn. 1: *ὑπὸ* — v. 7 adn. 2: *μὲν* — p. 27, v. 5 adn. 1: *ἅπαντα* — v. 8 adn. 1: *Λαμψακηνῶν* — v. 10 adn. 1: *τὰ* — v. 17 adn. 1: *-μένης* — p. 30, v. 5 adn. 2: *Φρύνης·* — p. 36, v. 8: *ἐξεταστικόν.* — p. 43, v. 3 adn. 6: *μόνον.* — p. 45, v. 2 adn. 8: *συνηγορεῖν* — p. 52, v. 5 adn. 2: *ἑ-* — p. 54, v. 10: Itaque — p. 56, v. 1 adn. 1: *τὸ* — p. 59, v. 17: secutus — v. 3 adn. 4: Argaeus — p. 60, v. 14 adn. 1: *ἦσαν* — *τοιούτους* — v. 15 adn. 1: *ἣ* — p. 63, v. 5: ascribitur — p. 65, v. 5 adn. 5: *ἐκ* — v. 6 adn. 5: *τὴν* — p. 80, v. 4 adn. 1: *ὧ* —

Praefatio.

De Anaximene Lampsaceno, cuius ars rhetorica inter Aristotelis opera conservata studium hominum doctissimorum diu incitabat, quamquam multi strictim vel in transitu vel occasione oblata dixerunt, atque etiam Geierus et Müllerus, quae de eius vita et scriptis prodita erant, collegerunt, tamen nemo adhuc, quantum scio, ita egit, ut imaginem multarum illius occupationum animo concipere possimus, praesertim cum nemo satis copiose et uno tenore cum de aliis eius operibus tum de historiis disputaverit.

Scripserunt de vita et scriptis eius hi homines docti:

Joannes Meursius. Operum vol. III columna 1095 sq. ex recensione Joann. Lami Flor. 1744.

Isaac Casaubonus et Aegidius Menagius ad Diog. Laert. lib. II, 3 Commentarii in Diogenem Laert. Editionem curavit Henr. Gust. Huebnerus. Vol. I. Lips. et Lond. 1830 p. 33 sq. et p. 309 sq.

Fabricius. Bibliotheca Graeca. Hamburgi 1791. Vol. II p. 652 et 873; vol. III p. 33 et 223 sq.; vol. VI p. 122.

Joann. Fridr. Ebert. Dissertationes Siculae. Regimontii 1825. Tom. I. No. IX p. 102 sqq.

Dav. Ruhnkenius. Orationes, Dissertationes et epistolae Ruhnkenii. Cum suis aliorumque annotationibus ed. Friedemann. Brunsvigae 1828. p. 353 sq.

Anton Westermann. Gesch. der Beredsamkeit in Griechenland u. Rom. I. Teil. Leipz. 1833. § 69.

Idem in Pauly Realencyklop. d. class. Altertumswiss. 2. Aufl. Stuttg. 1864. vol. I p. 966 sqq.

Gerard. Joann. Vossius. De historicis Graecis libri tres. Auctiores et emend. ed. Antonius Westermann. Lips. 1838 p. 64, p. 92, p. 102.

Robertus Geier. Alexandri M. historiarum scriptores aeta te suppares. Lips. 1844. lib. VII, c. 1 p. 273 sqq.

Friedr. Creuzer. Die histor. Kunst der Griech. in ihrer Entstehung u. Fortbild. 2. Ausgabe bes. v. Jul. Kaiser. Leipz. u. Darmst. 1845. p. 384 sqq.

Carolus Müller. Arriani Anabasis et Indica. Reliqua Arriani et scriptorum de rebus Alexandri M. fragmenta. Parisiis 1846.

Usener. Quaestiones Anaximeneae. Gotting. 1856.

Rud. Nicolai. Griech. Litteraturgesch. Magd. 1873—1878 vol. II p. 161 sq. et p. 110.

Fr. Blass. Die attische Beredsamk. 2. Abteil. Leipz. 1874 p. 350 sqq. (Editio altera a. 1892 (p. 378 sqq.) mihi non praesto fuit.)

Susemihl. Gesch. der griech. Litteratur in der Alexandrinerzeit. II. Band. Leipz. 1892 p. 452 sqq.

Benigna fortuna temporum illorum, quibus Graecia in altissimum fastigium artium litterarumque evecta erat, ingeniosissima et praeclarissima sapientium virorum opera, Platonis, Aristotelis, Demosthenis discentibus nobis atque admirantibus conservavit. Sed praeter hos homines alta et divina quadam mente praeditos multi, ut aetate strenuis impigrisque studiis florente, scripserunt et docuerunt, qui quod erant animis debiliores minusque subtiles, campum disciplinae suae inveniebant latissimum. Nam pauci Platonis praecepta percipere poterant, multi istorum, qui philosophorum acumine neglecto eloquentiae usum dare volebant[1]. Et idem, cum suis ipsorum scriptis variis gloriam et admirationem populi acquirerent[2] et arte qualiacunque docendi se iactarent, apud plurimos gratia valebant. Isocrates enim, qui esset immodicus sui admirator philosophorumque verorum contemptor,[3] cum discipulos scholis suis non modo oratores eximios, sed etiam homines eruditissimos et prudentissimos futuros esse promitteret[4],

---

[1] Veri philosophi occupationem utilitatem solum spectantem etiam despiciebant et inferioribus ingeniis relinquebant. Ita enim Aristoteles Polit. VIII 3 p. 1338 Bekk.: *τὸ δὲ ζητεῖν πανταχοῦ τὸ χρήσιμον ἥκιστα ἁρμόττει τοῖς μεγαλοψύχοις καὶ τοῖς ἐλευθέροις.*

[2] Cf. quae Zeller (Gesch. d. gr. Phil. Band 1. 5. Aufl. Leipz. 1892) p. 1084 sqq. disseruit.

[3] Antidos. § 258—294. Panath. § 26—32.

[4] Antidos. § 84 sqq. § 93.

a plerisque magister est electus, quamvis Plato contemptim maleque de tali philosopho loqueretur[1]. Atque in horum praeceptorum numero habendus est Anaximenes Lampsacenus, qui in diversissimis scriptoris occupationibus versatus nihil praestitit singulare, sed, quod speciem quandam multorum illius aetatis hominum litterarum praebet, nos allicit, ut vitam et studia eius nunc describamus.

Duos Anaximenes Lampsacenos Diogenes Laertius novit atque cognominibus „ῥήτωρ“ et „ἱστορικός“ distinguit. Cumque iuniorem senioris Anaximenis sororis filium fuisse narrat, auctoritatem et fidem habere videtur[2]. At reliqui scriptores unum Anaximenem nominant, quem et rhetorem et historicum clarum fuisse acceperunt[3]. Et Strabo, quo loco Lampsacenos viros celebres enumerat[4], solum rhetorem Anaximenem commemorat, quem idem, cum id affert, quod ex eius historiarum libro profluxisse apertum est, auctorem suum designat[5]. Itaque, nisi omnino inventa sunt Diogenis verba, fortasse vixit alter Anaximenes, qui hunc avunculum habebat, nec vero tam fuit clarus rerum gestarum scriptor, ut „ἱστορικός“ ei proprium cognomen daretur. Immo utrumque cognomen ad unum virum

---

[1] Rep. VI, 295 (595 C). Euthyd. p. 304 D. Cf. L. Spengel, Isocrates u. Plato. Abh. der philosoph.-philol. Klasse der Kgl. Bair. Akad. der Wiss. 7. Band. München 1855 p. 729 sqq. et Phil. 19, 597 sq.

[2] Diog. Laert. II, 3: *Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι δύο Λαμψακηνοί, ῥήτωρ καὶ ἱστορικός, ὃς ἀδελφῆς υἱὸς ἦν τοῦ ῥήτορος τοῦ τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις γεγραφότος.*

[3] Diodor. XV, 76. Strab. XIII, p. 589. Paus. VI, 18, 2—3. Suidas.

[4] Geographica. XIII, 19 (C 589): *Ἐκ Λαμψάκου δὲ Χάρων τε, συγγραφεὺς καὶ Ἀδείμαντος καὶ Ἀναξιμένης ὁ ῥήτωρ καὶ Μητρόδωρος ὁ τοῦ Ἐπικούρου ἑταῖρος.*

[5] Strab. l. l. *Ἀναξιμένης δὲ καὶ ἐν τῇ Ἐρυθραίᾳ φησὶ λέγεσθαι Κολωνὰς καὶ ἐν τῇ Φωκίδι καὶ ἐν Θετταλίᾳ.*

spectat, quia ipse Diogenes ab eo, quem rhetorem nominat, res gestas Alexandri conscriptas esse prodit historiasque rhetoris Graecas et Philippicas scriptores gravissimi laudant. Qua ex re nemo iam unquam iuniorem Anaximenem horum sciptorum auctorem fuisse dicet. Librum autem *μεταλλαγαὶ βασιλέων* inscriptum sunt qui isti tribuerint[1]. Ne tamen credas eum historicum appellatum esse propter hunc libellum, quo res gestas narrare noluerit, sed exemplis ab historia petitis sententiam suam probaverit. Neque causa esset, cur hic liber iuniori homini adscriberetur, nisi in fragmento Nicocles ille diceretur, qui a. 310 demum mortuus est. Iam autem Perizonius[2] et Geierus[3] de Philippi regis aequali[4] agi demonstraverunt. Quae cum ita sint, confidenter possumus credere aut iuniorem Anaximenem, ex sorore senioris nepotem, sine causa inventum esse aut, si vixit, ei cognomen „*ἱστορικός*“ inmerito ascitum esse. Nos quidem, quae de Anaximene sunt tradita, ea ad iuniorem referre nihil cogit.

Cuius de vita perpauca a scriptoribus antiquis prodita sunt. Quae quibus ex fontibus hausta sint, diligenter est inquirendum; neque enim omnia, quae de Anaximenis vita apud auctores legimus, fide esse digna uno iam exemplo demonstravimus.

Sed plerique tacent, unde sumpserint, quae tradunt. Athenaeus autem, cum XIII p. 591 E Diodorum auctorem afferat, quae I p. 21 C narravisset, Hermippum dixisse fa-

---

[1] Voss. c. XI, p. 67 (ed. Wersterm.). Meursius, Oper. vol. III (rec. Lam.) col. 1096 D.

[2] Ad Ael. Var. hist. VII, 2.

[3] Alex. M. hist. script. p. 281.

[4] De hoc Nicocle scripserunt Bruno Keil Anal. Isocr. Bagae-Lips. 1885 p. 8 et Ad. Holm, Griechische Gesch, III. Band, Berl. 1891 p. 355 sq. adnot.

tetur. Atque etiam illa (XIII p. 591 E) non ab ipso Diodoro, sed ab Hermippo, quem suum ibi auctorem Diodorum laudavisse credo, petita esse testis est Harpocrationis locus, ubi eadem ex Hermippo sumpta produntur, quae Athenaeus XIII p. 591 E auctoritati Diodori tribuit. Hunc autem ante duodecem tribus Atticas institutas i. e. ann. 308 a. Chr. n. scripsisse Ahrensius probavit[1]; itaque ab Hermippo Callimacheo inspici potuit. A quo illum inspectum esse mihi hoc quoque est documento, quod Pseudoplutarchus, postquam, quae Hermippus de Hyperidis fine narravit, protulit etiam Diodorum auctorem addidit[2]. Hunc enim profecto non ipse ascivit, sed laudavit, quod a suo auctore laudatum vidit. Cum probabilitate igitur omnia fere, quae de Anaximenis vita narrantur, Diodori auctoris nomine sive prodito sive non prodito ex Hermippi scriptis profluxisse sumimus.

Sed cum haec ex ea parte libri *Βίοι τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων* inscripti petita esse videantur, qua *περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν* agebatur, Anaximenem quoque discipulum praeceptoris illius celeberrimi fuisse nonnulli putaverunt. Recte autem Usenerus, cum id, quod Harpocratio s. v. *Εὐθίας* explicat, ad Hyperidem[3] et quidem celeberrimam Phrynae meretricis ab eo susceptam causam pertinere et ea, quae Hermippus narrat, de Theocrito Chio, qui esset Metrodori Isocratici discipulus, tradita esse monuisset, Anaximenem ab iis partibus stetisse demonstravit, quae ab Isocrate essent alienissimae, quin etiam infestae, a Cynicis eorumque studioso et Isocratis inimico Zoilo.[4] Accedit,

---

[1] De Athen. statu politico et litt. p. 27.

[2] Vit. X orat. 849 C.

[3] De Hyperide egerat Hermippus libro tertio *περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν*. Athen. VIII, 342 C.

[4] Usener. Quaest. Anax. Gotting. 1856 p. 7 sqq.

quod Diodorus Anaximenem Lampsacenum in discipulis Isocratis non numerat.[1]

Anaximenem autem patriae suae servatorem fuisse Pausaniae fortasse titulus statuae testatus est, quam cives eius Olympiae collocaverant. Quae deinde narrat[2] unde petiverit, ignoramus. Equidem vero Pausaniam censeo haec iam in Polemonis de Olympia scripto[3], quod imprimis eum usurpasse apparet[4], inventa in usum suum convertisse.

Tum autem verisimile est haec quoque a Diodoro periegeta originem habuisse. Nam Pausaniam sua saepissime ex Polemone hausisse constat, et hunc ad eum, qui in periegesibus conscribendis praecesserat, Diodorum confugisse est consentaneum. Diodorum autem de Anaximenis vita egisse accepimus, ergo ea quoque, quae apud Pausaniam de illo scripta videmus, ab eo profecta esse summam habet speciem veritatis. Ubi autem Diodorus de vita Anaximenis egerit, quia de rebus ab eo descriptis parum constet, pro certo evinci nequit. Tamen conici licet, quandoquidem de monumentis sepulcrorum Atticorum commentarios censcripsisse et vitas virorum clarorum, qui in Attica sepulti erant, accurate et copiose tractasse videtur[5], de Anaximenis quoque non modo sepulcro, quod Athenis fuisse verisimile est, sed etiam de vita egisse.

Quae igitur a scriptoribus de Anaximenis vita sunt tradita, eis, ut ex locupletibus fontibus haustis, non dif-

---

[1] Nam XV 76,4 et Isocratis discipulos et Anaximenem in medium affert.

[2] lib. VI, cap. XVIII 2—6.

[3] A. Kalkmann. Pausanias der Perieget. Berlin 1886. p. 76.

[4] Ibid. p. 76 sqq. p. 84 adn. p. 98 sqq. p. 108 sq. cf. Hirt, De fontib. Pausaniae in Eliacis. Gryphisw. Diss. 1878 p. 54.

[5] Preller ad Polem. p. 170. Müller F. H. G. II, 353 sqq.

fidemus, nisi in dubium ea vocare gravibus causis coacti erimus.

Anaximenem, Aristoclis filium, Lapsacenum fuisse multorum consensu confirmatur.[1] Lucianus autem in Herod. cap. III de Chio Anaximene narrat, quod bene quadrat in hunc Lampsacenum. Dicit[2] enim multos, in quibus Hippiam Eleum, Prodicum Ceum, Anaximenem Chium, Polum Agrigentinum, Olympiae orationibus habitis in claritudinem totius Graeciae brevi pervenisse in hac re Herodoti exemplum secutos. Quem Anaximenem eundem esse putavit Nitzschius atque Lampsacenum.[3] Et Müllerus[4] de Nitzschio: „Argumentum," inquit, „sententiae me fugit, nisi fortasse inde, quod Anaximeni cum Theopompo Chio inimicitiae erant, et quod eiusdem vestitum Chius Theocritus risisse narratur, aliquis colligi voluerit eum per aliquod tempus in insula hac versatum atque propterea Chium a Luciano nominatum esse." At Lucianum, cum exempla in medium afferret, nullos nisi celebres et claros rhetores dicere voluisse nemo non intellegit. Itaque, si ea, quae scriptor narrat, in Anaximenem notissimum apte cadere

---

[1] Dionys. Hal. De Is. iud. 19. Diodor. XV, 76,4 et XV, 89. Strabo. XIII, 589 et XIV, 635. Athen. VI, 231 C. Suid. s. v. *Ἀναξιμένης* et. s. v. *Τιμόλαος Λαρισσαῖος*. Stob. Flor, 49. 17.

[2] Lucian. Herod. III, 2 sq. (Ed. Jacobitz. Lips. 1886—1887) *τοιαῦτα ἐκεῖνος* [Herodotus] *ἀπέλαυσε τῶν ἱστοριῶν, ἐν μιᾷ συνόδῳ πάνδημόν τινα καὶ κοινὴν ψῆφον τῆς Ἑλλάδος λαβὼν καὶ ἀνακηρυχθεὶς οὐχ ὑφ' ἑνὸς μὰ Δία κήρυκος, ἀλλ' ἐν ἁπάσῃ πόλει, ὅθεν ἕκαστος ἦν τῶν πανηγυριστῶν. ὅπερ ὕστερον κατανοήσαντες, ἐπίτομόν τινα ταύτην ὁδὸν ἐς γνῶσιν, Ἱππίας τε ὁ ἐπιχώριος αὐτῶν σοφιστὴς καὶ Πρόδικος ὁ Κεῖος καὶ Ἀναξιμένης ὁ Χῖος καὶ Πῶλος ὁ Ἀκραγαντῖνος καὶ ἄλλοι συχνοὶ λόγους ἔλεγον ἀεὶ καὶ αὐτοὶ πρὸς τὴν πανήγυριν, ἀφ' ὧν γνώριμοι ἐν βραχεῖ ἐγίγνοντο.*

[3] Homer. Untersuch. II, p. 88.

[4] Script. de reb. Alex. M. fragm. p. 33.

videntur, cum de Chio quodam nihil prorsus aliunde comperiamus, nostro iure de Lampsaceno illo cogitamus. Nec tamen, ut Anaximenes in hac insula aliquantum temporis degerit, ob hanc causam Lucianus Lampsacenum illum in Chium mutavisse censendus est, sed, quod Chium eum appellavit, simplici errore factum esse videtur, qui unde profectus sit, sic forsitan intellegatur. Fieri enim potest, ut alicubi (fortasse in scripto de Homero) Anaximenes dixerit ut Homeri ita suam ipsius patriam nomen habuisse Pityussam. Quo nomine et Lampsacum[1] et Chium, quam patriam Homeri putabat Anaximenes, prioribus temporibus appellatas esse nesciebatur, itaque Chius etiam Anaximenes habitus est.

De anno eius aut natali aut fatali nihil est traditum. Sed ad ea, quae scriptores occasione oblata de hac re commonefaciunt, animum advertentibus Lampsaceni aetatem finibus, quos ad verum proxime accedere apparet, describere nobis licet. Diodorus enim in Bibliotheca historica ad Ol. 103, 3 (Cephisodori annum) i. e. 366 a. Chr. n., ubi, qui fuerint *ἄνδρες κατὰ παιδείαν ἄξιοι μνήμης*, enumerat, non modo Isocratem eiusque discipulos et Aristotelem et Platonem et Pythagoreos ultimos et Xenophontem et Aristippum et Antisthenem, sed etiam Anaximenem Lampsacenum affert[2]. Nec vero fieri potest, ut hic, si historiam Alexandri

---

[1] Strab. XIII, 589, quem locum ex Anaximene profluxisse mihi verisimillimum videtur: *ἐκαλεῖτο δὲ* (sc. Lampsacus) *πρότερον Πιτυοῦσσα, καθάπερ καὶ τὴν Χίόν φασιν.*

[2] Diod. lib. XV, c. 76,4: *Ὑπῆρξαν δὲ κατὰ τούτους τοὺς χρόνους* (Ol.103,3=366) *ἄνδρες κατὰ παιδείαν ἄξιοι μνήμης Ἰσοκρατης τε ὁ ῥήτωρ καὶ οἱ τούτου γενόμενοι μαθηταὶ καὶ Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος, ἔτι δὲ Ἀναξιμένης ὁ Λαμψακηνὸς καὶ Πλάτων ὁ Ἀθηναῖος, ἔτι δὲ τῶν Πυθαγορικῶν φιλοσόφων οἱ τελευταῖοι, Ξενοφῶν τε ὁ τὰς ἱστορίας συγγρα-*

conscripsit eumque in expeditionibus comitatus est, iam tum fuerit clarus. Et ex Isocratis discipulis, quorum nonnullos, ut Hyperidem, anno 366 iam nominis famam adeptos esse credibile est,[1] tamen plerique, ut Theopompus, Theodectes, illo tempore adolescentuli vel pueri erant. Itemque Aristoteles, cum duodevicesimum annum ageret, nondum gloria florebat. Itaque Diodorus, cum haec proderet, nihil docere in animo habuit nisi viros illos, qui sive tum sive posterius doctrina nobiles clarique erant, anno 366 iam exstitisse. Comperimus igitur solum hoc Diodori loco Anaximenem tum iam natum fuisse et vel fortasse pueritiam, ut Theopompum, vel adolescentiam, ut Aristotelem, habuisse. Est autem, quod Anaximenem hoc anno admodum adolescentulum fuisse non cogitemus. Nam, cum Philippus eum nosse dicatur, iam anno 336, quo rex Macedonum mortuus est, eum tam nobilem fuisse apparet, ut rhetorem noscere regis interesset.

Qua in disputatione ne ab Eusebio quidem adiuvamur. Hic enim in Chron. ad ann. 329 (Ol. 112,4) Anaximenem et Epicurum floruisse adnotavit. Quod quamquam de illo credere nihil impedit, tamen his verbis ob eam causam fides deest, quod Epicurus, qui una cum Anaximene agnitus esse narratur, duodecim tum annos natus fuit.

Sed, si verum est, quod scriptum videmus, Anaximenem in expeditionibus Alexandri comitem fuisse, annus natalis eius quam proxime ad tempus illud, quo existitisse

---

ψάμενος ἐσχατογήρως ὤν· μέμνηται γὰρ τῆς Ἐπαμεινώνδου τελευτῆς μετ̓ὀλίγον χρόνον γεγενημένης· Ἀρίστππός τε καὶ Ἀντισθένης, πρὸς δὲ τούτοις Αἰσχίνης ὁ Σφήττιος ὁ Σωκρατικός.

[1] Hyperidem, quem a. 330/29 diaeteten fuisse CIA II 941 testetur, quandoquidem arbitri illi (*διαιτηταί*) sexagenarii esse debuerint, a. 400/399 natum esse Wilamowitzius conicit. Aristoteles und Athen. I. Band. Berlin 1893. p. 225 adnot. 77.

iam Anaximenem Diodorus tradit (366), admovendus est, quod senem labores expeditionis Alexandri subiisse credere vix possumus. At vero ex paucis tenuibusque fragmentis historiarum, quas Anaximenes conscripsit, utrum Asiam et Africam viderit necne, disceptari nequit. Fortasse autem, quod Plinius, cum de Asiae arboribus loquitur, praeter alios Alexandri rerum scriptores, quos expeditionibus regis interfuisse constat[1], Anaximenem auctorem dicit[2], hunc quoque Macedonem comitatum esse documento est. Etiam fabulae, quae Alexandrum cum Anaximene loquentem inducunt, de quibus mox agemus, in comitatu regis fuisse eum ostendunt. Tum autem Anaximenem illo tempore ad summum sexagenarium fuisse, anno igitur circiter 380 natum esse putare possumus. Sed haec quidem hactenus.

Nunc ad vitam eius depingendam pergamus. Paupertate animum hominis fieri demissum, sed ad artes discendas et exercendas aptiorem, sua ipse vita expertus esse videtur, cum dicit:[3] „*Χαλεπὴ διδάσκαλος ἡ πενία τοῦ μικρὸν φρονεῖν*„ et „*ἡ πενία καὶ πρός τὰς τέχνας δεινοτέρους καὶ πρὸς τὸν βίον τεχνικωτέρους τοὺς ἀνθρώπους καθίστησιν.*“ Postea autem divitem eum factum esse ex Diogenis verbis cognoscitur, quae paulo infra afferemus.

Magistros habuit Suida auctore Diogenem Cynicum et Zoilum, cui cognomen erat *Ὁμηρομάστιξ*. Et philosophiae quidem doctrina eum esse imbutum definitiones docent, quae saepe in arte rhetorica obveniunt, magnaque

---

[1] Hi sunt: Callisthenes, Clitarchus, Nearchus, Onesicritus, Chares, Ephippus, Ptolemaeus Lagi, Marsyas Macedo.

[2] Anaximene usus est Plinius libr. XII, quo arbores describit, quas Alexander in Asia vidit.

[3] Stob. Flor. Ed. Meineke vol. III p. 210,22 et 22a.

eius aestimatio philosophiae[1]; Cynicum vero fuisse eo comprobatur, quod vestem suam more praeceptoris ita neglexit, ut ea de causa a Theocrito Chio increpante incultus vocaretur[2] et postea quoque cum Diogene usu coniunctus fuit. Narravit enim Diogenes Laertius haec[3]: Cynicus, ubi Anaximenem, qui erat pinguis, convenit: „Etiam nobis“, inquit, „pauperibus ventrem da; nam et ipse exoneraberis et nobis auxiliaberis.“ Cumque idem aliquando disputaret, salsamentum Diogenes obtendens auditorum diligentiam avertit et, cum ille succenseret, „Anaximenis colloquium“, inquit, „salsamentum unius oboli dissolvit.“ Atque a Zoilo ad Homerum tractandum videtur excitatus esse.

Rhetor Anaximenes artisque oratoriae praeceptor quae egerit, cum nihil fere de hac re sit traditum, percipere vix possumus. Quid autem de doctrina eius ex praeceptis artis rhetoricae esset concludendum, iam Usenerus bene disseruit[4]. Quodsi de hoc Anaximene sunt dicta, quae Lucianus Herod. c. 3 narravit, Olympiae declamationibus in ostentationem comparatis magnam gloriam ac laudem brevi acquisivit. Athenis autem, in urbe celeberrima, ludum aperuit. Quem multos frequentasse inde sequi

---

[1] Art. rhet. (ed. Spengel) p. 19 sq.: *ἐκ τοῦ φιλοσοφεῖν δεινότερον εἶναι περὶ φρόνησιν.*

[2] Athen. p. 21 C: *Ἕρμιππος δέ φησι Θεόκριτον τὸν Χῖον ὡς ἀπαίδευτον μέμφεσθαι τὴν Ἀναξιμένους περιβολήν.*

[3] Diog. Laert. Vitae philosophorum. lib. VI, c. 2, § 57: *Ἀναξιμένει τῷ ῥήτορι παχεῖ ὄντι προσελθών, „ἐπίδος καὶ ἡμῖν,“ ἔφη* (sc. Diogenes) *„τοῖς πτωχοῖς τῆς γαστρός· καὶ γὰρ αὐτὸς κουφισθήσῃ καὶ ἡμᾶς ὠφελήσῃς“. διαλεγομένου ποτὲ τοῦ αὐτοῦ τάριχος προτείνας περιέσπασε τοὺς ἀκροατάς· ἀγανακτοῦντος δέ, „τὴν Ἀναξιμένους,“ ἔφη, „διάλεξιν ὀβολοῦ τάριχος διαλέλυκεν.“*

[4] Quaest. Anax. p. 29 sqq.

videtur, quod divitem eum factum esse Diogenis, praeceptoris eius, verbis cognoscitur[1]. Atque verba ex oratione, qua rhetor audientibus studium oratorium commendabat, conservasse mihi videtur Stobaeus[2]: *Τοῖς γὰρ ἀστείοις πρεσβύταις ὅσον οἱ κατὰ τὸ σῶμα ἡδοναὶ ἀπομαραίνονται, τοσοῦτον αἱ περὶ τοὺς λόγους ἐπιθυμίαι πάλιν αὔξονται, καὶ τοσούτῳ βεβαιότερον αὐτοῖς παρέχει τὸ λέγειν τί χρήσιμον τοῖς ἄλλοις καὶ παρ' ἑτέρων αὐτοὺς ἀκούειν· ὥστε τὰς μὲν ἀπὸ τῶν βρωτῶν καὶ ποτῶν καὶ ἀφροδισίων ἡδονὰς γιγνομένας ἰδεῖν ἔστιν οὐχ ὅπως εἰς τὸ παραχρῆμα εὐφραινούσας ὡς ὕστερον λυπούσας· ἡ δὲ περὶ τοὺς λόγους ἡδονὴ καὶ μάθησις ἔν τε τῷ παραυτίκα εὐφραίνει καὶ πρὸς τὸν ἄλλον βίον τοὺς μανθάνοντας διάγειν ἡδέως παρασκευάζει*[3].

Nomina autem discipulorum perpauca afferuntur: Timolaus enim Larissaeus a Suida[4] et Archias Thurius Phygadotheras cognomine, quem Antipater inquisitoribus in Graeciam oratores adversarios persequendi causa circummissis praefecerat, a Demetrio apud Plutarchum[5]. Adolescentulumque quendam e discipulis eius, qui praesente

---

[1] Fortasse autem divitias causidicus acquisivit.

[2] Flor. Rec. Meineke. Lips. 1855—1857. vol. IV, p. 87 (PIZ 5.).

[3] Eisdem fere verbis hoc loco Anaximenes utitur, quae Plato in Rep. I p. 328 D Cephalum dicentem fecit: *ὡς εὖ ἴσθι, ὅτι ἔμοιγε ὅσον αἱ ἄλλαι αἱ κατὰ τὸ σῶμα ἡδοναὶ ἀπομαραίνονται, τοσοῦτον αὔξονται αἱ περὶ τοὺς λόγους ἐπιθυμίαι τε καὶ ἡδοναί.* Vide infra.

[4] s. v. *Τιμόλαος.* Westermann, Vitar. script. Graec. minor. Brunsvig. 1845 p. 356: *Τιμόλαος Λαρισσαῖος ἐκ Μακεδονίας, ῥήτωρ, Ἀναξιμένους τοῦ Λαμψακηνοῦ μαθητής, ὃς καὶ ποιητικῶς ἔχων παρενέβαλε τῇ Ἰλιάδι στίχον πρὸς στίχον καὶ ἐπέγραψε τὸ σύνταγμα Τρωικόν, κ. τ. λ.*

[5] Vit. Dem. c. 28: *Τοῦτον* (Archiam) *δὲ Θούριον ὄντα τῷ γένει λόγος ἔχει τραγῳδίας ὑποκρίνασθαί ποτε καὶ τὸν Αἰγινήτην Πῶλον, τὸν ὑπερβαλόντα τῇ τέχνῃ πάντας ἐκείνου γεγονέναι μαθητὴν ἱστοροῦσιν. Ἕρμιππος δὲ τὸν Ἀρχίαν ἐν τοῖς Λακρίτου τοῦ*

rege Antigono orationem habebat, Plutarchus in Imperatorum apophthegmatibus commemorat[1].

Atque etiam Alexander, rex Macedonum, illius disciplina instructus esse dicitur.[2] Sed qui hoc memoriae produnt, omnes ex uno fonte hausisse apparet, qui, cum multos fuisse Alexandro magistros inter omnes constaret[3], nomina eorum reperire studuit rhetoremque Philippo notum et a Macedonum partibus stantem praeceptorem eloquentiae filio regis dedit[4]. Quae sententia fortasse inde est orta, quod, ut ad Achillem irascentem Argivi magistrum eius senem, ita ad Alexandrum quoque urbem diruiturum Lampsacenos Anaximenem misisse putaverunt. Nam, quo tempore Alexander adolescentulus arte dicendi instrui poterat, Anaximenes Athenis eloquentiam docebat, id quod ars rhetorica tum conscripta demonstrat, et post Aristotelem magistrum ascitum nullus fuit rhetori locus. Iam enim Alexandrum,

---

ῥήτορος μαθητὴν ἀναγράφει. Δημήτριος δὲ τῆς Ἀναξιμένους διατριβῆς μετεσχηκέναι φησὶν αὐτόν.

[1] p. 182 E.

[2] Val. Max. VII, 3. 4. Pseudo-Callisthenes. Suidas. Cedrenus p. 130, 53.

[3] Cf. Plut. vit. Alex. c. 5: *Πολλοὶ μὲν οὖν περὶ τὴν ἐπιμέλειαν, ὡς εἰκός, ἦσαν αὐτοῦ τροφεῖς καὶ παιδαγωγοὶ καὶ διδάσκαλοι λεγόμενοι.*

[4] Pseudo-Callisth. I, 13: *Ἐγένετο δὲ αὐτοῦ τροφὸς Λανίκη ἡ Μέλαντος ἀδελφή, παιδαγωγὸς καὶ ἀνατροφεὺς Λεωνίδης, διδάσκαλος γραμμάτων Πολυνείκης, μουσικῆς δὲ Λεύκιππος Λήμνιος, γεωμετρίας δὲ Μενεκλῆς ὁ Πελοποννήσιος, ῥητορικῶν δὲ λόγων Ἀναξιμένης, φιλοσοφίας δὲ Ἀριστοτέλης*; Iulius Valerius, qui Pseudo-Callisthenis seu potius Aesopi narrationem Graecam secutus Alexandri historiam inter annos 270 et 330 conscripsit (vid. Kuebler in praef. p. V—VII), in libr. I, cap. 7 (rec. Kuebler Lips. 1888) haec habet: „Crescebat ergo ut corporis gratia ita studiorum quoque et prudentiae maiestate et cum his una regiae disciplinae. Eius nutrix Alacrinis erat, paedagogus atque nutritor nomine Leonidas, litte-

cum annum sextum decimum ageret, pater tam eruditum et constantem esse putabat, ut contra Byzantios proficiscens ei regnum et sigillum committeret[1].

Reiecta igitur opinione eorum, qui Alexandrum discipulum Lampsaceni fuisse putant, ad Anaximenem orationum scriptorem nos convertamus. Ac demonstrativarum orationum, quibus more aetatis illius rhetores eloquentiam ostentabant, unum titulum comperimus, *ἐγκώμιον Ἑλένης*, contra quam

---

raturae Polynicus magister, musices Alcippus Lemnius, geometriae Menecles Peloponnesius, oratoriae Anaximenes Aristocli Lampsacenus, philosophiae autem Aristoteles ille Milesius.“ Cf. Römheld. Beiträge zur Gesch. u. Kritik der Alexandersage. Jahresb. über d. Kgl. Gymn· zu Hersfeld 1873 p. 5: „Die Quelle aller Alexandersagen ist ein zu Alexandria zur Zeit der Ptolemäer entstandener, fälschlich nach dem Philosophen Kallisthenes von Olynth c. 368 bis 328) genannter griech. Roman.“ et p. 6: „Das Buch des Pseudokallisthenes, dessen älteste Aufzeichnung man in das 2. Jahrh. n. Chr. verlegen mag, wurde früh, etwa im 4. Jahrh., von einem nur dem Namen nach bekannten Autor Iulius Valerius ins Lateinische übersetzt unter dem Titel: Iul. Val. res gestae Alexandri Macedonis. Etwas später, vielleicht im 5. Jahrh., entstand eine armenische Uebersetzung und mindestens gleichzeitig mit ihr eine syrische. beide von unbekannten Verfassern“ et ad haec adnot. 2 pag. 5: „Die lateinische Uebersetzung nennt als Autor Aesop, dessen Fabeln oft mit Pseudokallisthenes zusammengeheftet erscheinen, die armenische Aristoteles, eine hebräische weist sogar auf Ptolemäus I. Lagi als den eigentlichen Verfasser hin.

Ex omnibus scriptoribus aequalibus Alexandri M. duos modo de pueritia et educatione regis Macedonum singularia scripta edidisse comperimus. Onesicritus enim Astypalaeae natus partem memorabilium inscripserat: *πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη* et Marsias Pellaeus opus vel partem operis divulgaverat, cui nomen erat *Ἀλεξάνδρου ἀγωγή*. Quibus maxime usus est Plutarchns. Cf. Geier Alex. und Aristoteles, p. 3: Anaximenem Alexandri magistrum eloquentiae fuisse non legimus.

[1] Plut. Alex. cap. 9.

orationem ab Isocrate Helenam conscriptam esse Machaon censuit[1]. Quod si recte dixerit, terminum, ante quem scripta est oratio Anaximenis, constitui posse spes fuerit. Cum vero Blassius[2] hanc Isocratis orationem anno tribuat 393, fieri non potest, ut Lampsaceni Helena etiam prius in lucem sit emissa, quod auctor nondum vel, si Usenerum sequimur, paulo ante natus erat. Zycha[3] autem et Bruno Keilius[4], cum orationem Isocratis anno demum 366 editam esse putent, negant quidquam impedire, quominus Machaoni fidem habeamus. Sed, ut concedamus id, quod Keilius facit, Usenerum annum 392 Anaximenis natalem recte computavisse eumque hanc orationem scribere potuisse, tamen Isocratem summam gloriam iam consecutum orationi adolescentis istius obscuri propriam opponere voluisse prorsus non credimus. Et quoniam, contra quem Isocrates Helenam suam scripsisset, antiquos homines doctos iam dubitasse argumento illius orationis cognoscitur, Machaoni, utpote qui sit ignotissimus, nostro iure diffidimus. Neque igitur, quando scripta sit Anaximenis laudatio Helenae, definiri potest.

Deliberativarum quoque orationum auctorem exstitisse

---

[1] Isocratis orationes. Ed. Benseler, iterum Blass. Lips. 1885—1888. p. LVIII: *Ὑπόθεσις ἀνωνύμου γραμματικοῦ* (ad Helenam orat. 10) .....*λέγουεν, ὅτι Γοργίου ἐπιλαμβάνεται τοῦ Λεοντίνου, τοῦ ἐνεγκόντος τὴν ῥητορικὴν εἰς τὴν Ἑλλάδα, ὡς κακῶς γράψαντος, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς προοιμίοις δηλοῖ ὑποκατιών. βέλτιον δὲ λέγειν, ὥσπερ ὁ Μαχάων, ὅτι πρὸς Ἀναξιμένην τὸν Λαμψακηνὸν γράφει. φέρεται δὲ ἐκείνου λόγος, Ἑλένης ἀπολογία μᾶλλον οὖσα ἤπερ ἐγκώμιον.*

[2] Att. Bereds. Bd. I, 2. Aufl., p. 74 sq.

[3] Bemerk. zu den Anspiel. u. Bezieh. in der 13. und 14. Rede des Isocr. 16. Jahresber. d. Leopoldstädt. Gymn. Wien 1880.

[4] Analecta Isocratea. Bragae-Lips. 1885. p. 8 sq. adn. 3.

Anaximenem Dionysius testatur[1]. Sed, cum in rostra escendere Athenienses peregrinis non concederent, Anaximenem civem Atheniensem fuisse credendum esset; quod nusquam comperimus. Ac ne illud quidem est praetermittendum: Si orationes deliberativas habere ei licuisset, certe ad Philippi consilia adiuvanda vim oratoriam adhibuisset. Tum autem mirum esset, quod de hac eius occupatione a rhetoribus illius aetatis, qui et de sodalibus suis et de adversariis multa loquerentur, nihil est proditum. Itaque Blassius, quod historiis suis orationes deliberativas miscuisset, ob hanc causam a Dionysio eum actionibus deliberativis implicitum esse dixit[2]. Sed verisimilius videtur Anaximenem, ut discipulis suis exempla ad imitandum proponeret, deliberativas quoque orationes *(τέχνας)* conscripsisse.

Etiam *λογογράφον* fuisse Anaximenem inde cognoscitur, quod Euthiae cuidam contra Phrynen ab Hyperide defensam orationem scripsisse narratur. Phrynen enim, meretricem pulcherrimam et nobilissimam, Euthias, quem offenderat, apud heliastas *ἀσεβείας* accusavit, cum Hyperides pro ea, quam amari a se profitebatur, diceret itaque defenderet, ut tandem absolveretur[3]. Cumque attenderis in actione illa, quae tantam habebat claritudinem tantumque studium, ut etiam multis annis post Posidippus[4], cum *Ἐφεσίαν* comoediam ederet, illius admoneret[5], ab

[1] De is. iud. XIX (Rec. Kiessling vol. V p. 626): *ἧπται δὲ καὶ συμβουλευτικῶν καὶ δικανικῶν ἀγώνων.*

[2] Attische Bereds. vol. II, p. 331 sq.

[3] Athen. XIII, p. 590 sq.

[4] Posidippum Suidas tertio anno post mortem Menandri, hoc est Olympiadis CXXIII anno secundo vel tertio primam fabulam docuisse memoriae prodidit.

[5] Athen. XIII p. 591 C: *Ποσείδιππος δὲ ὁ κωμικὸς ἐν Ἐφεσίᾳ τάδε φησὶ περὶ αὐτῆς· Φρύνη πρὸ ἡμῶν γέγονεν ἐπιφανεστάτη πολὺ*

accusatore Anaximenem electum esse, ut orationem scriberet contra eam, quae a clarissimo et eloquentissimo rhetore defendebatur[1], iam intelleges eius gloriam et famam illa aetate maximam fuisse.

Qui quam bene praeceptum istud, quod in arte rhetorica discipulis suis persaepe dedit[2], ut inimicis omni ratione obtrectarent et officerent, ipse secutus sit, id testimonio est, quod in Theopompum, quocum simultas ei exorta erat, machinatus est. Divulgavit enim per Graeciam contra Athenienses simulque in Lacedaemonios Thebanosque libellum criminosum, cui nomen inscripsit Theopompi. Et, ut erat sophista et artifex sermonis, cum eius scribendi genus accuratissime imitatus esset, Graecorum odia illi conflavit[3]. Nec vero, quae causa fuerit harum tam gravium inimicitiarum, a scriptoribus traditur. Hoc autem perspici potest, non rerum publicarum dissensione iras ortas esse, quod uterque Macedonum studiosus erat. Sed libertate, qua vitia et errores hominum Theopompus notabat, Anaximenem esse offensum credibile est[4].

τῶν ἑταιρῶν· καὶ γὰρ εἰ νεωτέρα τῶν τότε χρόνων εἶ, τόν γἀγῶν' ἀκήκοας.

[1] Hyperidis defensio tantam gloriam adepta est, ut etiam multo post Messalla orationem illam Latine verterit. Quint. 10, 5, 2.

[2] Art. rhet. (ed. Spengel) c. 34, p. 66 v, 21 sq.: *δεῖ δὲ καὶ τὰ μὲν αὑτοῦ αὔξειν τὰ δὲ τοὐναντίον ταπεινοῦν.* Vid. p. 22,7 — p. 23,19, p. 28,20 — p. 29,10, p. 38,12 — 18, p. 39,7 — 20, p. 40,2 — 5, p. 41,8 — 15, p. 44,16 — p. 45,8, p. 64,11 — 22, p. 66,4 — 25, p. 67,2 — 14, p. 75,15 — 29, p. 78,17 — 20.

[3] Pausan. VI, 18, 3 sq. (Suid. s. v. *Ἀναξιμένης*). Vid. infra.

[4] Cf. Pflugk. De Theopompi Chii vita et scriptis, Berol. 1827. p. 31: „Difficile fuit Theopompum effugere reprehensionem, propterea quod non solum manifesta scelera cum singulorum hominum, tum civitatum acerrime exagitaret, verum etiam latentia vitia detegeret, causas cuiusque rei reconditas investigaret, neque improbos homines specie virtutis se iactare pateretur. Quo factum

Contra diversitas publici studii, quae fuit cum Theocrito Chio, Anaximeni odium videtur concitasse. Hic enim ab Alexandri partibus stabat, Theocritus autem, cuius filius Anticles Hermolai contra regem Macedonum coniurationi interesset, adversarius eius erat[1]. Et inimicos fuisse Lampsacenum et Chium ex iis, quae Hermippus prodidit, concludendum est. Nam narravit a Theocrito Anaximenis vestimentum ut inurbanum vituperatum esse[2]. Cumque orationem habiturus esset, Chius: „Verborum," inquit, „nunc fluvius incipit, rationis autem palus"[3].

Nimirum Anaximenes in eo numero videtur fuisse, qui doctrinam scientiamque adhiberent, ut Alexandri regis auctoritatem et potentiam amplificarent et stabilirent[4]. Etenim iam Philippo notus fuit, ab eoque ad domum regiam rhetorem deductum esse, fortasse ut res a Macedonibus factas scriberet, verisimile est, si inde famam profectam esse credimus, qua Anaximenes Alexandri praeceptor fuisse narratur.

Atque consuetudine eum dignum regi visum esse

---

est, ut nonnullis invidus ac maledicus videretur: ex quo in multorum offensiones atque odia incidit gravesque inimicitias suscepit." Discrimina haec ad praeceptores et Anaximenis et Theopompi dissentientes redundare affirmat Usener p. 10 sqq.

[1] Arrian. Exp. Alex. IV, 13, 4.

[2] vid. supra.

[3] Stobaeus. Sermon. XXXVI p. 217, 44 Gesn: *Θεόκριτος Ἀναξιμένους λέγειν μέλλοντος, „Ἄρχεται," εἶπε, „λέξεων μὲν ποταμός, νοῦ δὲ σταλαγμός"*. Ceterum Theocritus Chius ille vir fuit ad rixam tam promptus, ut ne suo quidem populari civique Theopompo aut Aristoteli parceret, quin etiam Alexandro regi malediceret. Cumque postea facetiis suis acerbis regis Antigoni odium sibi conflavisset, violenta morte est abreptus. (Müller, Fragm. hist. II, 86 sq.

[4] vid. infra.

etiam loco Stobaei Florilegii[1] ostenderetur, si iure nomen regis Phaedri in Philippum correctum esset. Scriptum enim videmus apud Stobaeum Anaximenem Lampsacenum rhetorem, cum a rege Phaedro interrogatus esset, quid esset insociabile, tyrannidem[2] respondisse. Quod autem regem Phaedrum fuisse illis temporibus nusquam comperimus, hoc nomen in Philippum commutandum Muellerus et Meinekius censuerunt. Nec vero intellego, quare scriba, ad quem error iste referendus esset, nomen regis sibi certe notissimi in Phaedrum ignobiliorem mutaverit. Neque mero oculorum errore utrumque nomen confusum esse verisimile, quia apices sunt satis dissimiles. Cum autem illa aetate multae urbes, quas Anaximenem ut sophistam peregrinantem adiisse consentaneum est, tyrannos parvulos habuerint, facile credideris hic nomen reguli alicuius fortasse

---

[1] XLIX, 17 (ed Meineke vol. II p. 286): *Ἀναξιμένης ὁ Λαμψακηνὸς ῥήτωρ ἐρωτηθεὶς ὑπὸ τοῦ βασιλέως Φαίδρου τί ἀκοινώνητόν ἐστιν, εἶπεν „τυραννίς“.*

[2] Hoc responsum ex ingenio Anaximenis datum esse testantur verba, quae de oligarchorum in cives condicione locutus est (Art. rhet. c. 2 p. 14 v. 20 sqq. ed. Spengel): *δεῖ δὲ τὰς ζημίας ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ, μεγίστας ἐπικεῖσθαι τοῖς ὑβρίζειν τινὰς τῶν πολιτῶν ἐπιχειρῦσιν· τὸ γὰρ πλῆθος οὐχ οὕτω τῶν ἀρχῶν ἀγανακτεῖ στερούμενον, ὡς ἔχει βαρέως ὑβριζόμενον* et pag. 15 v. 1 sqq.: *καθόλου δὲ εἰπεῖν, δεῖ τοὺς νόμους ἐν μὲν ταῖς δημοκρατίαις κωλύειν τοὺς πολλοὺς ταῖς τῶν πλουσίων οὐσίαις ἐπιβουλεύειν, ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις ἀποτρέπειν τοὺς τῆς πολιτείας μετέχοντας ὑβρίζειν τοὺς ἀσθενεστέρους καὶ συκοφαντεῖν τοὺς πολίτας.* Ceterum hoc commune est persuasum Graecis libertate assuetis, ut demonstrant loci ex Aristotele et Lysia a Spengelio allati. Comment. in art. rhet. p. 125 et p. 126. Quid iudicaverit de tyrannis, ab Anaximene ipso comperimus art. p. 35 v. 14—17: *παραπλήσιόν μοι δοκοῦσι ποιεῖν οἱ ἀντίδικοι τοῖς τυράννοις· ἐκεῖνοί τε γὰρ ὧν μὲν αὐτοὶ ἀδικοῦσιν, οὐκ ἀξιοῦσι διδόναι δίκας, ὧν δὲ τοῖς ἄλλοις ἐγκαλοῦσιν, ἀνυπερβλήτως τιμωροῦνται.*

Siciliensis, quocum Anaximeni colloquium erat, conservatum esse.

Atque Alexander, ubi regnare coepit, cum seditionibus finitimis oppressis Persarum terras adiret, rhetorem dicitur habuisse comitem.[1] Num vero iam ineunte regno Alexandri in exercitu Macedonum fuerit, dubium videtur, si eum anno 334,[2] quo a Lampsacenis ad Alexandrum placandum missus est, in patria sua habitasse credimus.[3] Sed mihi magis arridet eos civi suo, cum versaretur in comitatu regis, mandavisse, ut poenam urbi deprecaretur. Neque enim, quod anno circiter 338 Athenis artem rhetoricam conscripsit, quae inter Aristotelis opera usque ad nostram aetatem pervenit, crediderim, cum diu in hac urbe eloquentiam docuisset, eum subito in patriam rediisse, nisi forte senectute invalidus quieti se dare voluit. Sed, quandoquidem posterius animus ad historiam Alexandri scribendam et corpus ad expeditiones subeundas sufficiebant, nondum aetate confectus fuisse potest.

Praeterea fabula illa, qua Alexander, cum Homerum praeconem ab Achille inventum esse admiratus esset, verba fecisse cum Anaximene narratur, documento est eo tempore hunc in regis comitatu fuisse. Scriptores[4] enim ferunt Alexandrum, cum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, felicem Achillem appellasse, quod virtutis suae praedicatorem Homerum repperisset. Ubi autem ad haec verba

---

[1] Suidas: *εἵπετο δὲ αὐτῷ* (Alexandro) *ἐν τοῖς πολέμοις*.

[2] Arrian. Anab, I, 12.

[3] Hoc credidisse videtur Valerius Maximus; vid. lib. VII, cap. III, § 4.

[4] Arrian. Exped. Alex, I, 12. 1. Plut. Alex. XV, 3 (p. 612 C vol. II p. 802, 15 sq.) Eadem multi posterioris aetatis a Sternbachio (Wien. Stud. X. Jahrg. I. Heft 1888 p. 4 sq.) collecti tradiderunt.

Macedonis Anaximenes clarum redditurum esse se regem promisisset, Alexandrum apud Homerum se malle Thersitem quam apud istum esse Achillem dixisse gnomologio Vaticano a Leone Sternbachio edito[1] discimus, cum choliis Acronis, Porphyrionis, commentatoris Cruquiani ad Horatii artis poeticae vers. 357 Choerilo hoc responsum ab Alexandro datum esse prodatur. Cui fabulae recte Sternbachius aliud apophthegma addit, quod tantummodo ad Anaximenem Alexandri comitem quadret.[2] Hoc enim scriptum videmus: *Ὁ αὐτὸς εἰπόντος Ἀναξιμένους· „ἐὰν πᾶσι πολλὰ διδῷς, οὐ δυνήσῃ τοῦτο ποιεῖν διὰ παντός," ἔφη, „οὐδέ γε, ἐὰν παύσωμαι, μόνος πάντ' ἔχειν δυνήσομαι πολὺν χρόνον."*[3]

Anno igitur iam 334 Anaximenem in comitatu regis fuisse probabile est, dummodo aliquid istis fabulis veri subesse concedas. Quin etiam a Philippo, ubi primum artem suam edidit, quo facto quasi munere suo praeceptorio defunctus est, anno 338 aut paulo post in domum regiam vocatum esse eum mihi verisimillimum videtur.

---

[1] De gnomologio Vaticano inedito II. Wiener Studien. X. Jahrg. (1888) p. 3 sqq. Vide infra.

[2] Ibid. p. 7 No. 85.

[3] Quae Diog. V, 11 docet, Anaximenem apud Alexandrum versatum esse comprobarent, nisi suspicionem haberent. *Λέγεται,* inquit, *Ἀριστοτέλης διὰ τὴν Καλλισθένους πρὸς Ἀλέξανδρον σύστασιν προκροῦσαι τῷ βασιλεῖ· κἀκεῖνον ἐπὶ τῷ τοῦτον λυπῆσαι, Ἀναξιμένη μὲν αὐξῆσαι, πέμψαι δὲ καὶ Ξενοκράτει δῶρα.* Recte enim Blass (Att. Bereds. 2. Abt. p. 350 adn. 3: „Wenn Diogenes mitteilt, dass Alexander späterhin, als sein Verhältnis zu Aristoteles erkaltete, um diesen zu kränken, den Anaximenes und Xenokrates ausgezeichnet habe, so ist die hier zugrunde liegende Stelle genauer wiedergegeben bei Plut. Alex. 8, und dort wird statt des Anaximenes Anaxarchus genannt." Cf. quae Geier (Al. M. hist. script.) lib. VII, c. 1 p. 276 disputavit.

Ceterum, quoniam hoc loco fabellis locum concessi, haec quoque, quae narrantur, sive vera sunt sive lepide ficta, afferre iuvat[1]. Cum Lampsaceni a Persarum partibus starent, Alexander iracundia inflammatus gravissimum se supplicium sumpturum esse minatus est. Qui quod de uxoribus et liberis et patria timebant, Anaximeni manda-

---

[1] Pausaniae descriptio Graeciae. Recogn. Schubart. Lips. 1888 lib. VI c. XVIII, 2 sqq. (*Ἠλιακῶν B*): *Ἐνταῦθα καὶ Ἀναξιμένους οἶδα εἰκόνα ἀνευρών, ὃς τὰ ἐν Ἕλλησιν ἀρχαῖα, καὶ ὅσα Φίλιππος ὁ Ἀμύντου καὶ ὕστερον Ἀλέξανδρος εἰργάσαντο, συνέγραψεν ὁμοίως ἅπαντα. ἡ δέ οἱ τιμὴ γέγονεν ἐν Ὀλυμπίᾳ παρὰ τῶν Λαμψακηνῶν τοῦ δήμου. ὑπελίπετο δὲ Ἀναξιμένης τοσάδε ἐς μνήμην· βασιλέα γὰρ οὐ πάντα ἤπιον, ἀλλὰ καὶ τὰ μάλιστα θυμῷ χρώμενον Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου τέχνῃ περιῆλθε τοιᾷδε· Λαμψακηνῶν τὰ βασιλέως τοῦ Περσῶν φρονησάντων ἢ καὶ αἰτίαν φρονῆσαι λαβόντων ὁ Ἀλέξανδρος, ἅτε ὑπερζέων ἐς αὐτοὺς τῇ ὀργῇ, κακῶν ἠπείλει τα μέγιστα ἐργάσασθαι. οἱ δὲ ἅτε θέοντες περὶ γυναικῶν τε καὶ παίδων καὶ αὐτῆς πατρίδος, ἀποστέλλουσιν Ἀναξιμένην ἱκετεύειν, Ἀλεξάνδρῳ τε αὐτῷ καὶ ἔτι Φιλίππῳ πρότερον γεγονότα ἐν γνώσει. προσήει τε Ἀναξιμένης, καὶ τὸν Ἀλέξανδρον πεπυσμένον καθ' ἥντινα αἰτίαν ἥκοι, κατομόσασθαί φασιν ἐπονομάζοντα θεοὺς τοὺς Ἑλλήνων ἦ μὴν αὐτοῦ ταῖς δεήσεσιν ὁπόσα ἐστὶν ἐναντία ἐργάσασθαι. ἔνθα δὴ εἶπεν Ἀναξιηένης, χαρίσασθαί μοι τήνδε ὦ βασιλεῦ τὴν χάριν, ἐξανδραποδίσασθαι μὲν γυναῖκας καὶ τέκνα Λαμψακηνῶν, καταβαλεῖν δὲ καὶ ἐς ἔδαφος τὴν πόλιν πᾶσαν, τὰ δὲ ἱερὰ τῶν θεῶν σφισιν ἐμπρῆσαι· ὁ μὲν ταῦτα ἔλεγεν, Ἀλέξανδρος δὲ οὔτε πρὸς τὸ σόφισμα ἀντιμηχανήσασθαί τι εὑρίσκων καὶ ἐνεχόμενος τῇ ἀνάγκῃ τοῦ ὅρκου συγγγώμην ἔνεμεν οὐκ ἐθέλων Λαμψακηνοῖς* (Eadem Suid. s. v. *Ἀναξιμένης*). Valerii Maximi factorum et dictorum memorabilium libri novem iterum ed. Car. Kempf Lips. 1888 lib. VII, c. 3, § 4: „Lampsacenae urbis vero salus unius vaframenti beneficio constitit: nam cum ad excidium eius summo studio Alexander ferretur progressumque extra moenia Anaximenem praeceptorem suum vidisset, quia manifestum erat futurum, ut preces suas irae eius opponeret, non facturum se quod petisset iuravit. Tunc Anaximenes: „peto", inquit, „ut Lampsacum diruas". Haec velocitas sagacitatis oppidum vetusta nobilitate inclytum exitio, cui destinatum erat, subtraxit.

verunt, ut veniam impetraret. Alexander autem, ubi comperit, qua de causa veniret, per Graecorum deos, quaecunque essent contraria eius precibus, ea se facturum esse iuravit. Tum vero Anaximenes: „Hoc," inquit, „rex mihi gratum fac, ut liberos uxoresque Lampsacenorum in servitutem abducas et urbem solo aeques et templa deorum comburas". Alexander autem, cum dolo occurrere nesciret necessitateque iurisiurandi obstrictus teneretur, invitus Lampsacenis ignovit. Gratisque animis hi postea servatori patriae Olympiae statuam collocaverunt, quam Pausanias se vidisse narrat.

Pars posterior.

De scriptore Anaximene.

a) De rhetore.

Jure ait Westermanus,[1] cum a populo artes litteraeque initio, quia tempus utilitatis occasioque postulent, colantur, sensim consuetudine fines atque formas describi. Sic enim primo temporis opportunitas et necessitas iudiciale dicendi genus ac forensem eloquentiam tractari iubebat. Nam lites et causas orari oportebat, et ei, qui ad rem publicam moderandam usum et scientiam et studium suum conferebant, in civitate valere non poterant nisi orationibus. Atque postea demum genus dicendi demonstrativum, quod ad docendum vel delectandum spectabat, excolebatur.

Quaeque usus, efficacissimus omnium rerum magister, docuerat, ea in artibus, quas τέχνας dicebant Graeci, conscribebantur, ut discipulis discendique studiosis duces essent. Ac primum quidem rhetorum praecepta solum genus iudiciale respiciebant, dum Isocrates, qui assiduum usum uni isti rei deditum vituperabat, deliberativum quoque

---

[1] Gesch. der Beredsamk. in Griechenland und Rom. 1. Teil. Leipz. 1833, § 6 p. 9: „Das Volk bildet Kunst und Wissenschaft zuerst als Bedürfnis des Augenblicks. Erst nach und nach entstehen durch die Gewohnheit bestimmte Grenzen und Formen.

genus arti suae inseruit. Genus autem demonstrativum, quod iam diu usu tractabatur, ab Aristotele demum singularis pars artis facta est. Et res quo melius illustrarent, in *εὕρεσιν* et *τάξιν* dividebant atque huic bipartito generi species quaslibet subiciebant.[1] Quos intra fines artes suas conscriptas dicendi magistri discipulis tradebant, ut, quae usu exercitationum didicissent, commentario quodam animis suis mentibusque mandarent. Ita Anaximenes quoque, ut multi et priores et aequales, quae trita usitataque erant, sua ratione sine philosophiae subtilitate ita composuit, ut ad usum transferri possent. Quamquam igitur nihil novi ingeniosive in libro eius invenimus, tamen artem, quippe quae sola ex illis temporibus integra nobis servata sit, cum sudio et voluptate legimus.

Cum vero, quae usu vitae expertus erat, eis ad artem suam conscribendam adductus adiutusque sit, priusquam de arte dicamus, de causidico disserere volumus.

Ex multis videlicet causis, quas ipse susceperat, aut in quibus aliis orationes conscripserat, unam modo comperimus. Phryne enim, meretrix Thespiensis, quae Venerem pulchritudine aequasse dicitur, ab Euthia impietatis est accusata. Et huic, ut commemoravimus, orationem in meretricem scripsisse fertur Anaximenes.[2] Quae autem in accusatione prolata sint, etiam nunc perspicimus, quod

---

[1] Vid. Ant. Westermann. l. l. § 68 et Volkmann. Die Rhetorik der Griechen und Römer. Leipz. 1885. p. 18 sq.

[2] Athen. XIII p. 591 DE: *Ἀριστογείτων δ' ἐν τῷ Κατὰ Φρύνης τὸ κύριον αὐτῆς φησιν εἶναι ὄνομα Μνησαρέτην. Οὐκ ἀγνοῶ δὲ ὅτι τὸν ἐπιγραφόμενον κατ' αὐτῆς Εὐθίου λόγον Διόδωρος ὁ περιηγητὴς Ἀναξιμένους φησὶν εἶναι* etc. Idem tradiderat Hermippus. Nam Harpocratio s. v. *Εὐθίας*: *Ὑπερίδης ὑπὲρ Φρύνης· τῶν ἐπὶ συκοφαντίᾳ διαβεβλημένων ἦν ὁ Εὐθίας, τὸν μέντοι λόγον αὐτῷ τὸν κατὰ Φρύνης Ἀναξιμένην πεποιηκέναι αὐτῷ φησιν Ἕρμιππος.*

Anonymus Seguerii[1] p. 57 orationis conclusionem, in qua *ἀνακεφαλαίωσις*[2] quae dicitur res antea actas conceperat, conservavit. Unde accusatorem reae opprobrio dedisse accepimus, quod pudoris oblita in Lyceo grassata esset, novum deum introduxisset, contra leges collegia virorum mulierumque constituisset. Haec enim in fragmento scripta videmus: *Κατὰ μὲν οὖν ὑπόθεσιν ἀνακεφαλαίωσις γίνεται, ὅταν αὐτὰ τὰ τὴν ὑπόθεσιν πεποιηκότα ψιλῶς ἐκτιθώμεθα· οἷον ἀσεβείας κρινομένῃ Φρύνῃ. καὶ γὰρ ἐκώμασεν ἐν Λυκείῳ, καινὸν εἰσήγηγε θεόν, καὶ θιάσους ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν συνήγαγεν. Ἐπέδειξα τοίνυν ὑμῖν ἀσεβῆ Φρύνην, κωμάσασαν ἀναιδῶς, καινοῦ θεοῦ εἰσηγήτριαν, θιάσους ἀνδρῶν ἐκθέσμους καὶ γυναικῶν συναγαγοῦσαν. ψιλὰ γὰρ νῦν τὰ πράγματα διηγεῖται.*

Quibus ex verbis, quia asyndeton habeant et singulares voces et numerosam compositionem verborum, Blassius aut Anaximenem orationum scriptorem alium fuisse ac praeceptorem aut orationem contra Phrynen ab eo non esse scriptam iudicat.[3] Nec vero tam celeriter est diiudicandum. Nam ex ratione dicendi, qua utitur auctor in libro usui scholarum destinato, de orationum eiusdem sermone coniecturam facere dedecet, praesertim cum in extrema parte orationis rhetor, ut auditores maxime commoveat, grandius graviusque quam antea dicere soleat. Ita Lysias quoque

---

[1] Oratores Attici. Recensuerunt atque adnotat. crit. addid. Baiterus et Sauppius. Turici 1839—50. vol. II p. 319 sq. LVIII.

[2] Hanc formam orationis Anaximenes ipse nominat *ἀπολογίζεσθαι* et partem esse voluit *τῆς παλιλλογίας* (cap. 20). Hoc exemplum dat p. 46, v. 8—11: *ἀπέδειξα δ' αὐτοὺς διαλύσαντας προτέρους τὴν συμμαχίαν, καὶ πρῶτον ἐπιθεμένους ἡμῖν, ὅτε πρὸς Λακεδαιμονίους ἐπολεμοῦμεν, καὶ μάλιστα σπουδάσαντες ἐξανδραποδίσασθαι τὴν πόλιν ἡμῶν.*

[3] Die Att. Bereds. 2. Abt. p. 368.

in fine orationis XII asyndeta adhibet, ut in animos audientium magis penetret. Et eodem consilio breviter et vehementer loquendi Anaximenes vocem *εἰσηγήτριαν*, quae sola in fragmento invenitur singularis, usurpat. Ac ne illud quidem est praetermittendum orationem, cum pro altero sit scripta, ex illius sensu et voluntate scriptam esse posse.[1] Ipse enim Anaximenes monet, ut genus dicendi moribus hominum adaptetur: *ἂν δὲ ἀστεῖον,* inquit,[2] *γράφειν θέλῃς λόγον, παραφύλαττε ὡς μάλιστα, ὅπως τὰ ἤθη τῶν λόγων ὁμοιοῦν τοῖς ἀνθρώποις δυνήσῃ. τοῦτο δὲ ποιήσεις, ἂν ἐπιθεωρῇς τὰ μεγάλα τῶν ἠθῶν καὶ τὰ ἀκριβῆ καὶ τὰ μέτρια.* Quo in genere comparari potest Lycurgus, cum praesertim in similibus atque Euthias causis sit versatus.

Qua ex oratione Anaximenis excerpta verba Alexander quoque de schemat. 8 p. 458 (ed. Walz) memoriae prodidit: *Τί γάρ ἐστιν αἰτία αὕτη, εἰ Ταντάλῳ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς λίθος κρέμαται;* Et recte ad hunc locum Baiterus et Sauppius;[3] „Inde videtur concludi posse Euthiam magnificis verbis de impietatis poenis sempiternis dixisse."

Hyperides autem Phrynen defendit accusatoremque calumniationis arguere studuit. Et contigit, ut meretrix absolveretur. Sed plurimum ad victoriam pulchritudinem eius contulisse narrant. Hyperides enim, cum iudices contra clientem suam sententias laturos videret, manu apprehensa vestem ei discidisse et pectus venustissimum denudavisse itaque effecisse fertur, ut absolveretur.[4]

Atque orationum demonstrativarum unius nomen com-

---

[1] Vide quae Holm (Griech. Gesch. 3. Band Berl. 1891) p. 193 sq. de Demosthenis in Olympiod. oratione contra Blassium disputavit.

[2] Art. rhet. ed. Speng. cap. 22 § 5.

[3] Orat. Att. vol. II, LVIII, 1 p. 319.

[4] Athen. XIII. p. 590 sq.

perimus, laudem Helenae. Et hanc magis defensionem quam laudem fuisse scholion ad Isocratis or. X prodidit.[1] Sed haec vituperatio, si modo est vituperatio, in omnes fere eiusmodi orationes cadit.

Nunc autem ad artem rhetoricam Anaximenis transeamus, de qua cum alii subtiliter diligenterque disputaverint et mea quidem sententia recte iudicaverint, quae illi praestiterunt, in brevi conspectu ponere, quidque illorum pervestigatione effectum sit, exponere satis habemus. Qui autem magis in hanc materiam penetrare volet, ad fontes recurrat, quos designabimus.

Librum, cui nomen est *τέχνη ῥητορικὴ πρὸς Ἀλέξανδρον,* omnibus codicibus Aristoteli addictum Petrus Victorius primus a verbis Quintiliani de artis Anaximeneae dispositione[2] profectus Anaximenis esse cognovit.[3] Epistulam autem praemissam arti, quippe cuius argumentum ad discipulum rhetoricae studiosum et in republica viventem, non ad regem Alexandrum spectet, postea interpolatam esse luce est clarius.[4]

Et Petro Victorio multi homines docti assenserunt,[5] praesertim cum Leonardus Spengelius genuinum esse opus

---

[1] Vid. supra p. 20 adn. 1.

[2] Quintil. inst. libri XII rec. Bonnell. Lips 1894—89. III, 4,9: „Anaximenes iudicialem et concionalem generales partes esse voluit, septem autem species: hortandi, dehortandi, laudandi, vituperandi accusandi, defendendi, exquirendi, quod ἐξεταστικόν dicit; quartum duae primae deliberativi, duae sequentes demonstrativi, tres ultimae iudicialis generis sunt partes."

[3] Praefat. ad. Aristot. Rhet. et Var. lect. XIV, 2.

[4] Spengel. Anax. ars rhet. Turici et Vitoduri 1844 p. 93 sqq. Usener. Quaest. Anax. p. 5 sq. Ipfelhofer, Die Rhetorik des Anax. Würzburg 1889. p. 19—27.

[5] Enumerat eorum nomina Ant. Westermann. Gesch. d. Bereds. I. Teil p. 69 adn. 4.

Anaximenis acutissime demonstrasset.[1] Tamen Lerschius identidem Aristoteli librum vindicare conatus est;[2] tandem autem ab Aristotele quidem artem scriptam esse non posse sibi persuasit.[3]

Sed multi artem alii rhetori atque Anaximeni ascribere maluerunt. Velut Hardonius[4] et Garnierus[5] et Schoellius[6] Coracem auctorem, Havetus[7] Isocratem statuerunt; Benoitus denique[8] Aristoteli et Coraci opusculum illud attribuit. Etiam posterioribus temporibus scriptam esse artem fuerunt qui crederent. Rosius[9] enim peripatetico cuidam, qui Aristotelis praecepta cum Isocrateis conciliare studuisset, auctoritatem vindicare conatus est; et Barthelemius[10] aliquem, qui sub Chr. n. Alexandreae vel Athenis eloquentiam doceret, ex tribus diversorum auctorum artibus opusculum compilasse dixit; quin etiam

---

[1] *Συναγ. τεχν.* Stuttgartiae 1828 p. 182 sqq. Proleg. art. An. p. X sq. Zeitschr. für d. Altertumswissenschaft. 1847, 2.

[2] Sprachphilosophie der Alten Bd. II 1840 p. 280 sqq. Rhein. Mus. I (1842) p. 176 sqq. Zeitschr. f. d. Altertumsw. 46 p. 919 sqq. Fabricius quoque infirmis causis eandem rem defenderat. Bibl. Gr. Hamburgi 1791. vol. III p. 223 sq.

[3] Zeitschr. f. d. Altertumswissenschaft. IV (1846) p. 115 sqq.

[4] Dissertat. sur l'origine et les progrès de la rhétorique dans la Grèce. Mémoir. de l'Ac. des belles lettres tom. XV. p. 165.

[5] Sur l'art oratoire de Corace. Mém. de l'Institut royal de France. Classe d'histoire et de littérat. anciennes vol. II. Paris 1815 p. 52 sqq.

[6] Gesch. der griech. Litter. Nach der 2. Aufl. übers., mit Bericht. u. Zus. von Moritz Pinder. II. Band. Berl. 1830 p. 167.

[7] Étude sur la rhét. d'Arist. Par. 1846 p. 126.

[8] Essai hist. sur les premiers manuels d'invention oratoire. Par. 1846 p. 148 sqq.

[9] Aristot. speudepigr. p. 136.

[10] Rhét. d'Arist. traduite en français par J. Barthélemy Saint-Hilaire. tom. II Par. 1870 p. 182.

partim novissimis temporibus libellum ab hebete quodam homine misere conscriptum esse Campius[1] putavit.

Quas sententias quamquam Spengelius[2] tam evidenter redarguerat, ut aliquamdiu omnibus persuasisse videretur, tamen denuo homines doctissimi[3] ab Anaximene artem abiudicaverunt. Itaque nuper Ipfelkofer[4] hanc rem retractavit et, ut mihi videtur, optime demonstravit libellum non ex compluribus partibus compositum, sed, quamquam additamentis et erroribus corruptum, ab uno auctore scriptum eumque ante Aristotelis rhetoricam confectum esse.

Atque si, quae dispositio a Quintiliano prodita est, ea Anaximenis propria et nativa fuit, omnino nemo alius est auctor artis, quae ad nos pervenit, nisi Anaximenes. Conscriptam autem hanc esse videri post annum 340 exempla a bello Syracusano petita demonstrant[5]. Quae cum adeo ex fori Attici tanquam hesternis causis sumpta videamus, non ita multo post annum 340 libellum ab auctore editum esse Usenerum[6] secuti putamus.

Quo in opere componendo fuit auctor diligens. Nec vero definitio eloquentiae ab eo praemittitur, sed eorum definitio illis temporibus maxime usitata[7], qui πειθοῦς

---

[1] Philol. IX (1854) p. 106 sqq.

[2] Philol. XVIII (1862) p. 604 sqq.

[3] Zeller, Philosophie der Griech. II, 2 (3. Aufl.) p. 78 adn. 2. O. Müller-Heitz, Gesch. der griech. Litt. II, 2. p. 286. E. Maass, Deutsche Litteraturgesch. 1884 p. 1336. R. Volkmann in Iw. Müllers Handbuch der class. Altertumsw. II, p. 456. Susemihl, Bursians Jahresb. Bd. 42 (1887) p. 1 sq.

[4] Die Rhetorik des Anaxim. unter den Werken des Aristot. Diss. Erlang. 1889.

[5] Spengel, συναγωγ. τεχν. p. 188 sq.

[6] Quaest. Anax. p. 23 sq.

[7] Plat. Gorg. 16 (453). Quint. II, 15,8. Sext. Emp. adv. rhet. 71 p. 601.

δημιουργόν eloquentiam esse voluerunt, tacite ponitur, id quod docet ratio libri, quo postuletur, ut hominibus omni modo persuadeatur. Divisa est autem eloquentia, vel potius *λόγοι πολιτικοί* quos dicit scriptor, in duas partes quae sunt deliberativa et iudicialis. Quae genera (*γένη*) complectuntur septem species (*εἴδη*): *προτρεπτικόν ἀποτρεπτικόν, ἐγκωμιαστικόν, ψεκτικόν, κατηγορικόν, ἀπολογητικόν, ἐξεταστικγμ.*

Has in partes materiam plane ad vitae usum collatam disposuit. Nec vero res philosophi acumine subtiliter discernit, sed dicendi leges atque praecepta sermone trita perspicue hebeti mente profert. Exemplaque sua non ut Aristoteles ex clarorum oratorum operibus sumit, sed ipse elegit ex suae aetatis memoria inde a Timotheo usque ad Timoleontem bellumque Syracusanum.

In hac arte non solum rhetoris exercitationem, sed interdum etiam veteratoris vafritiam exhibet. Et quibus moribus ille fuerit, etiam hoc testimonio est, quod in Theopompum commisit. Cuius genus et elocutionem accurate imitatus libellum ad infamiam urbium Graeciae clarissimarum Theopompi nomine inscrpitum edidit et divulgavit, ut illi inimicitias totius Graeciae conflaret. Haec enim apud Pausaniam[1] (eademque peius expressa apud Suidam)[2] scripta videmus: *Φαίνεται δὲ καὶ ἄνδρα ὁ Ἀναξιμένης ἐχθρὸν οὐκ ἀμαθέστατα ἀλλὰ καὶ ἐπιφθονώταια ἀμυνά-*

---

[1] VI, 18,5. Recogn. Schubart. Lips. 1888.

[2] Suid. ed. Bernhardy. Halis et Brunsvigae. 1853 s. v. Ἀναξιμνης: .... *Ἠμύνατο δὲ καὶ Θεόπομπον τὸν Δαμοστράτου, ἐχθρὸν ὄντα, Ἀναξιμένης οὐκ ἀμαθέστατα ἀλλ' ἐπιφθονώτατα· σοφιστὴς γὰρ ὢν καὶ σοφιστῶν λόγους μιμούμενος γράφει βιβλίον ἐς Ἀθηναίους καὶ ἐπὶ Λακεδαιμονίους συγγραφὴν λοίδορον, ἐς τὸ ἀκριβέστατον μιμησάμενος καὶ ἐπιγράψας Θεοπόμπου τὸ ὄνομα ἔπεμπεν ἐς τάς πόλεις· καὶ ἐκ τούτου τὸ ἔχθος τὸ ἐς Θεόπομπον ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ηὔξατο.*

μενος· ἐπεφύκει μὲν αὐτὸς σοφιστὴς καὶ σοφιστῶν λόγους μιμεῖσθαι. ὡς δέ οἱ διαφορὰ ἐς Θεόπομπον ἐγεγόνει τὸν Δαμασιστράτου, γράφει βιβλίον ἐς Ἀθηναίους καὶ ἐπὶ Λακεδαιμονίους ὁμοῦ καὶ Θηβαίους συγγραφὴν λοίδορον. ὡς δὲ ἦν ἐς τὸ ἀκριβέστατον αὐτῷ μεμιμημένα, ἐπιγράψας τοῦ Θεοπόμπου τὸ ὄνομα τῷ βιβλίῳ διέπεμπεν ἐς τὰς πόλεις. καὶ αὐτός τε συγγεγραφὼς ἦν, καὶ τὸ ἔχθος τὸ ἐς Θεόπομπον ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ἐπηύξατο. Quae verba Pausaniae non tam clare distincteque sunt dicta, ut non diverse possint intellegi. Dixitne Pausanias duos libellos alterum in Athenienses, alterum in Lacedaemonios et Thebanos ab Anaximene divulgatos esse? Namque ad hanc interpretationem varietas praepositionum *ἐς* et *ἐπί* facile alliciat. An scriptor verba *συγγραφὴν λοίδορον* appositionem esse voluit ad *βιβλίον*, quod et contra Athenienses et contra Lacedaemonios Thebanosque scriptum esset? Quem sensum inesse verbis ob eam causam crediderim, quod *συγγραφὴν λοίδορον* extremo loco sunt posita, et quod, si ad *ἐπὶ Λακεδαιμονίους ὁμοῦ καὶ Θηβαίους* pertineant, verbum eiusdem vel similis notionis, quae praepositione *ἐς* parum est definita, desideretur.

Hic vero ab aliis scriptoribus adiuvamur, qui unicum librum ad infamiam trium illorum oppidorum scriptum esse ostendunt. Josephus[1] enim memoriae prodidit haec: *καὶ γὰρ ἐθνῶν τινες καὶ τῶν ἐνδοξοτάτων πόλεων ῥυπαίνειν τὴν εὐγένειαν καὶ τὰς πολιτείας ἐπεχείρησαν λοιδορεῖν. Θεόπομπος μὲν τὴν Ἀθηναίων, τὴν δὲ Λακεδαιμονίων Πολυκράτης, ὁ δὲ τὸν Τριπολιτικὸν γράψας (οὐ γὰρ δὴ Θεόπομπός ἐστιν, ὥς τινες οἴονται) καὶ τὴν Θηβαίων πόλιν διέβαλεν.* Hoc igitur loco scripto isto a nonnullis Theopompi nomini addicto, sed Josephi senten-

[1] c. Apion. I, 24 p. 459.

tia alii attribuendo, etiam oppido Thebanorum (scilicet praeter Athenienses et Lacedaemonios, ut ex indice *Τριπολιτικός* est concludendum) maledictum esse accepimus. Quem librum esse eum, quem Anaximenes sub Theopompi nomine divulgavit, nemo est, qui neget.

Atque idem certe opus Lucianus dicit, quamquam Theopompo assignat. Agit enim dialogo, cui nomen est *Ψευδολογιστὴς ἢ περὶ ἀπόφραδος*, de Timarcho[1] quodam sophista, quem acerbissimine insectatur, quod, cum a se appellatus esset aliquando *ἀπόφρας*, nomen illud ut ignotissimum ludibrio habuerit et deriserit. Quam rem moleste ferens Lucianus, utpote qui sermonis Graeci studiosissimus et peritissimus haberi velit, docet eum *ἀπόφραδα* diem esse nefastum infelicemque et, cum demonstrat, quam turpiter et inhoneste et lascive vixerit et vivat, cognomen istud *ἀπόφραδα* a se iure sophistae esse inditum comprobare studet. Ceterum negat isti, qui ipse vitiosissime Graece loquatur linguamque depravet et corrumpat, aliorum verba deridenda esse. Ut autem appareat, quam perverse Timarchus utatur sermone quamque tumide, cum alia in medium affert tum ea, quae de Theopompi Tricarano dixerit. „*Τίς*“, inquit[2], „*οὕτως ἐν λόγοις μεγαλότολμος, ὡς . . . . τὸν Θεόπομπον ἐπὶ τῷ Τρικαράνῳ κρίνοντα φάναι τριγλώχινι λόγῳ καθῃρηκέναι αὐτὸν τὰς προὐχούσας πόλεις; καὶ πάλιν, ἐκτριαινῶσαι αὐτὸν τὴν Ἑλλάδα καὶ εἶναι Κέρβερον ἐν τοῖς λόγοις.*“

Hoc quoque loco librum Theopompo addictum, quem Lucianus *Τρικάρανον* nominat, Graeciae oppida nobilissima

---

[1] Hoc esse nomen sophistae incusati cognoscitur ex verbis cap. 26: *Ἀθηναῖοι μὲν γὰρ βέλτιστον αἰνιγματῶδες οὐδέν, ἀλλὰ γράμματος ἑνὸς προσθήκῃ τιμήσαντές σε Ἀτίμαρχον ὠνάδιζον.*

[2] Pseudolog. c. 29. Luciani Samosatensis opera. Ed. Jacobitz Lips. 1886-7.

petivisse discimus. Sed indicem huic operi a duobis scriptoribus, qui nomen ei indunt, diversum datum esse nollem. Ignoramus enim, utrum liber utroque nomine fuerit inscriptus ab Anaximene an altero utro. Sed sub titulo *Τρικάρανος* librum aequalibus Luciani notissimum fuisse Pflugkium[1] iure puto ex Fugit. c. 32 Luciani effecisse. Sales enim, ad quos *δεσπότης* ille *Τρικάρανον* transtulit, acumine carerent, nisi sub hoc indice liber legentibus notus famosusque esset. Videtur igitur Anaximenes, cum fortasse *πολιτικοὺς λόγους,* quorum sub significatione nonnulla Platonis scripta iam tum collecta habebant,[2] respiceret, suo libro, qui de tribus urbibus ageret, facete titulum *Τριπολιτικόν* ascivisse, cumque in monstra tricipita fabulae iocaretur, nomen *Τρικάρανον λόγον* addidisse.

De dispositione autem et argumento libri Pseudotheopompei pauca accepimus. Tres orationes in unum corpus coniunctae videntur fuisse. Et Pausanias quidem libellum criminosum dicit, Lucianeus autem Timarchus verbis inflatis tumidisque iactat auctorem Tricarani tricuspide oratione urbes clarissimas pessumdedisse et Graeciam tridente concussisse et in orationibus suis Cerberum esse. Josephus denique calumniatum esse libellum tres urbes narrat. Ad Varronem autem, qui et ipse *Τρικάρανον* conscripsit[3], ut certius quid de argumento libri Anaximenei comperiamus, confugere non licet. Neque enim de indole operis Varroniani plus scimus, atque hoc aliter institutum esse consentaneum est, quod non contra tres urbes, sed

---

[1] De Theopompi vita et scriptis. Berolini. 1827. p. 45 sq,
[2] Diog. Laert. III, 49.
[3] Riese. Varr. sat. Men. p. 232,

contra tres viros, Caesarem, Crassum, Antonium conscriptum erat. Sed promptum erat famosum illum et rei aptissimum titulum ponere, postquam *Τρικάρανος* Anaximeneus libelli criminosi exemplar est factum.

Fortasse autem verba a Theodoro Metochita[1] excerpta, quae Osannius indicat,[2] speciem quandam elocutionis Anaximeneae Theopompum imitantis praebent. Etenim, quamquam ille[3] posteriore demum aetate vixit (mortuus est a. 1332), quia exscribenti scripta suppeditaverunt, quae postea interierunt, excerptum eius ut ex bonis fontibus derivatum adhibere possumus. Apud quem legimus:

Θεόπομπος ὁ ἱστορικὸς ἀποσκώπτων εἰς τοὺς Λακεδαιμονίους εἴκαζεν αὐτοὺς ταῖς φαύλαις καπηλίσιν, αἳ τοῖς χρωμένοις ἐγχέουσαι τὴν ἀρχὴν οἶνον ἡδύν τε καὶ εὔχρηστον σοφιστικῶς ἐπὶ τῇ λήψει τἀργυρίου, μεθύστερον φαῦλόν τινα καὶ ἐκτροπίαν καὶ ὀξίνην καταχιρνῶσι καὶ παρέχονται. καὶ τοὺς Λακεδαιμονίους τοίνυν ἔλεγε τὸν αὐτὸν ἐκείνοις τρόπον ἐν τῷ κατὰ τῶν Ἀθηναίων πολέμῳ τὴν ἀρχὴν ἡδίστῳ πόματι τῆς ἀπ' Ἀθηναίων ἐλευθερίας καὶ προγράμματι καὶ κηρύγματι τοὺς Ἕλληνας δελεάσαντας, ὕστερον πικρότατα βιοτῆς ἐπωδύνου καὶ χρήσεως πραγμάτων ἀλγεινῶν, πάνυ τοι τυραννοῦντας τὰς πόλεις δεκαρχίαις καὶ ἁρμοσιαῖς βαρυτάτοις, καὶ πραττομένους, ἃ δυςχερὲς εἶναι σφόδρα καὶ ἀνύποιστον φέρειν καὶ ἀποτιννύναι.

Quae comparatio tam verbose dicta in historias Theopompi quadrare mihi non videtur, quia is, quamquam saepius ingeniose et acute comparationibus utebatur, ut sermonem ornaret et illustraret, tamen, si ex fragmentis iudi-

---

[1] Edid. Kiessling. p. 792.

[2] Friedr. Osann. Beiträge zur griech. u. röm. Litteraturgesch. 2. Band. Kassel u. Leipz. 1839. p. 11 adn. 1.

[3] Fabric. Bibl. vol. X, p. 412 sqq. ed. Harl.

care licet, nullo loco talem verborum ambaginem, qualem illo loco, profudit. Quae verba Nicolaium puto ante oculos habuisse, cum hoc opusculo Anaximenem rationem dicendi Theopompeam ridiculam reddidisse dixit.[1] Sed, qui haec explicabat, id potissimum egit, ut ea eloqueretur, quae Lacedaemonios laederent et lacesserent. Theopompus autem, qui cum libertate de rebus male gestis male iudicaret, tamen non calumniandi causa historias suas conscripsit. Quodsi hae contumeliae ad Athenienses pertineant, habeat quispiam, quod hunc locum ex operibus Theopompi ab Athen. XII 532 BCD et lib. VI 254 B[2] et a Demet. de eloc. § 251 laudatis sumptum esse opinetur. Sed, cum de talibus contumeliis in Lacedaemonios ab illo iactis nihil comperiamus cumque Theopompi ratio comparandi exaggerata esse videatur, haud scio an talia verba in libello Anaximenis fuisse recte putemus. Iam autem ad fragmentum ipsum redeamus.

Per ludibrium igitur scriptor Lacedaemonios contra Athenienses reliquosque Graecos machinantes comparat cum copis fallacibus et perfidis, quae cum merce initio proba emptores allicere studeant, deinde improba decipiant. Sic Lacedaemonios Graecos, postquam vinculis Atheniensium se soluturos esse polliciti ad se traxissent et fiduciae plenos reddidissent, crudelissime subegisse atque servitute oppressos tenuisse.

Haec oratio translationibus et figuris abundat, ut proterve nequitia sordesque Lacedaemoniorum detegantur. Nec tamen calumnia haec ita est exaggerata, ut non exemplis ab historia petitis confirmari possit. Cum sollertia igitur videtur Anaximenes, quae male se habebant in

---

[1] Griech. Litteraturg. Magdeb. 1873—1878. II. p. 161.
[2] Müller, Fragm. hist. I. fr. 238 et 297.

civitatibus, indagasse et in lucem protraxisse.[1] Cumque Theopompum malignum censorem rerum gestarum esse nemo ignoraret, ubi contigit, ut elocutio eius apte imitando effingeretur, opus istud ab illo conscriptum esse facile credebatur, odiumque universum in eum conflatum est.[2] Hoc tam improbo et abiecto facto Anaximenes quascunque voluerat poenas ab inimico petiverat.

Ceterum eum libellum, quippe qui hominum animos vehementer moveret, defensionem elicuisse facile credas, sed, cur talem Dicaearchi tripoliticum esse putemus, non est,[3] utpote quo de optimo rei publicae genere actum esse satis constet.[4]

Huic autem loco aptum esse existimamus, quo de ingenio Anaximenis agamus, quamquam ad scriptorem rerum gestarum non minus spectat quam ad oratorem, quod historiae illis temporibus rhetorice conscribi solitae sunt.

Ac primum quidem antiquorum iudicia de eius ratione dicendi et scribendi etiam nunc comprobare possumus.

---

[1] Anaximenem hoc opusculo rationem dicendi Theopompeam ridiculam reddidisse, id quod voluit Nicolai (Griech. Litteraturgesch. Magdeb. 1873-78. vol. II p. 161) non credimus. Aegre ei contigisset, ut Graecorum inimicitias adversario conflaret. Immo, risui modo eum obiecisset.

[2] Probabiliter ait C. Müller (Fragm. hist. Gr. Par. 1841 p. LXXIV) ab Anaximene multa ex genuinis Theopompi scriptis libro subditicio iniecta esse.

[3] Passow (Vorrede zu dem Breslauer Lektionsverzeichnis 1829): „Dicaearchum, virum honestissimum, quem Lacedaemoniorum civitati maxime favisse scimus, Atheniensibus et Thebanis succensuisse parum est verisimile, famosis Anaximenis calumniis apologiam trium illarum civitatum opposuisse arbitramur, quod ut ex externa statim libri conformatione significaret, eodem usus est titulo, suum scilicet Tripoliticum.“

[4] Osann. l. l. p. 9. p. 15--34.

Etenim Dionysio Halicarnassensi voluisse quidem illum in omnibus generibus excellere, sed ubique imbecillum parumque probabilem fuisse dicenti[1] assentimur, quoniam Blassius, dum artem rhetoricam, quae ad nos pervenit, explicat, optime exposuit, quam iustae essent illae vituperationes.[2] Atque Theocritum Chium, quo iure Anaximeni verborum fluvium, sensus autem stillicidium tribuerit[3], intellegimus, si meminimus, quam saepe in arte rhetorica, ut sermo expandatur et amplificetur, hortetur.[4] Quod praescriptum quomodo usu observarit, etiam nunc cognoscimus ex fragmento illo, quo Platonis sententiam simplicem plurimis verbis amplificavit.[5]

Ceterum multum de orationibus suis gloriabatur[6]. Ipse enim quamquam ab eleganti illa floridaque compositione, qua aliqua ex parte historiographi illius aetatis clarissimi

---

[1] De Isaeo iud. XIX; *Ἀναξιμένην δὲ τὸν Λαμψακηνόν, ἐν ἁπάσαις μὲν ταῖς ἰδέαις τῶν λόγων τετράγωνόν τινα εἶναι βουλόμενον· καὶ γὰρ ἱστορίας γέγραφε καὶ περὶ τοῦ ποιητοῦ συντάξεις καταλέλοιπε καὶ τέχνας ἐξενήνοχεν, ἧπται δὲ καὶ συμβουλευτικῶν καὶ δικανικῶν ἀγώνων· οὐ μέντοι τέλειόν γε ἐν οὐδεμιᾷ τούτων τῶν ἰδεῶν, ἀλλ' ἀσθενῆ καὶ ἀπίθανον ὄντα ἐν ἁπάσαις θεωριῶν.*

[2] Blass. Att. Bereds. 2. Abt. p. 365 sqq.

[3] vid. supra p. 23 adn. 3.

[4] Art. rhet. ed. Spengel. cap. 22 p. 48 v. 4—14. cap. 30 p. 59, v. 20 sq. cap. 35 p. 71 v. 21—72. *ἁρμόσει ἐν τοῖς ἐπαίνοις καὶ πολλοῖς ὀνόμασι περὶ ἕκαστον χρησάμενον μεγαλοπρεπῆ τὴν λέξιν ποιῆσαι.*

[5] vid. supra pag. 17. ibique adn. 3.

[6] Plut. comp. Demosth. et Cic. 2. (Iter. recogn. Sintenis vol. IV Lips. 1888) de Cicerone: *Τελευτῶν δ' οὐ τὰ ἔργα καὶ τὰς πράξεις μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς λόγους ἐπαινεῖ τοὺς εἰρημένους ὑπ' αὐτοῦ καὶ γεγραμμένους, ὥσπερ Ἰσοκράτει καὶ Ἀναξιμένει τοῖς σοφισταῖς διαμειρακιευόμενος, οὐ τὸν Ῥωμαίων δῆμον ἄγειν ἀξιῶν καὶ ὀρθοῦν, „βριθύν, ὁπλιτοπάλαν, δάϊον ἀντιπάλοις“.* Quae verba falso Blass p. 351 laudat, ut hoc ostendat: „Anaximenes war seiner Zeit

Isocratem secuti utebantur[1], abhorrebat[2], id quod ars eius rhetorica docet Dionysiusque l. l. silentio comprobat, tamen elocutionem Theopompi nativam accuratissime est imitatus. Atque artifex fuit ex tempore dicendi singularis.[3] Itaque veteres oratorem maximi fecerunt, ut, quamquam in multis litterarum generibus occupatus erat, praecipuo nomine „*ῥήτωρ*“ appellaretur. Et Dionysius eum enumerat inter *ῥήτορας ἐπιφανεῖς καὶ ὀνόματος ἠξιωμένους οὐ μετρίου.* Inde etiam Alexandri Magni magistrum artis dicendi fabulae eum fecerunt.

Sed docendi munus Anaximenes non tam magnificum existimabat quam Isocrates, cui rhetorica, quippe quae ad commodum emolumentumque acquirendum plurimum conferret, occupatio erat hominibus dignissima, quin etiam philosophia appellanda, quae cum a rebus malis et humilibus arceret, tum ad magna quaeque et sublimia inflam-

---

als Sophist und Rhetor sehr angesehen.“ Plutarchus, cum vituperet Ciceronem. quod semper suarum virtutum praedicator sit, dicit Romanum orationes suas laudare consuevisse, quasi iuvenis iam Isosratem et Anaximenem aequaret, sc. iactatione. Hac enim comparatione gloriandi cupiditatem rhetoris significari testantur eiusdem Plutarchi verba haec (Alex. IV):. *οὔτε γὰρ ἀπὸ παντὸς οὔτε πᾶσαν ἠγάπα δόξαν* (sc. Alexander), *ὡς Φίλιππος λόγου τε δεινότητι σοφιστικῶς καλλοπιζόμενος κ. τ. λ.*

[1] Dionys. de comp. verba 23 p. 342 (Schaef.) *τὸν τῆς γλαφυρᾶς καὶ ἀνθηρᾶς συνθέσεως χαρακτῆρα ἔγωγε μάλιστα νομίζω ἐπεξεργάσασθαι τῶν μὲν ἐποποιῶν Ἡσίοδον, μελοποιῶν δὲ Σαπφῶ καὶ μετὰ ταύτην Ἀνακρέοντα καὶ Σιμωνίδην, τραγῳδοποιῶν δὲ μόνον Εὐριπίδην, συγγραφέων δὲ ἀκριβῶς μὲν οὐδένα, μᾶλλον δὲ τῶν πολλῶν Ἔφορόν τε καὶ Θεόπομπον, ῥητόρων τε Ἰσοκράτην.*

[2] Amat simplicitatem maximam, varietatem autem verborum (vid. Ipfelkofer. l. l. p. 20 sq).

[3] Pausan. VI, 18,3: *οὐ μὴν οὐδὲ εἰπεῖν τις αὐτοσχεδίως Ἀναξιμένου; πρότερός ἐστιν.* (Eadem Suidas)

maret.[1] Anaximenes contra id potissimum spectabat, ut praeceptis ad usum derectis oratores instrueret, ut, cum lites suscepissent, quavis condicione victores decederent. Nec promittit audientibus se litteras vel philosophiam traditurum esse, sed iis, quae iam prius didicerant, contentus artificiis eos instruere studet et astutiis, quibus causas sive iustas sive iniustas effugerent aut obtinerent. In moribus autem oratoris, quos Isocrates doctrina sua conformare vult[2], quosque Aristoteles maximi momenti esse censet,[3] nihil positum esse ei videtur[4]. Cuius solum speciem innocentiae et honestatis unicuique rei imponi interest, cum vim naturamque minoris aestimet. Itaque omnibus rationibus et subsidiis, id quod ubique est propositum, agit, ut iudicibus persuadeat. Et mendacium [5], calumniatio[6], falsum testimonium[7], periurium exoptata acceptaque ei sunt, dum modo ad finem perveniat. Neque acceptis nummulis scribere dedecus esse ei videtur. Tamen ut animi iudicum, qui fortasse turpe hoc esse putent, concilientur, discipulo suadet, ut gratia adductum se advocatum esse dicat.[8]

---

[1] Antidos. § 276 sqq.

[2] Theon, Progymn. ed. Basil. I, 203 memoriae prodidit Isocratem dixisse: „*οἱ διδάσκαλοι καὶ τοῦ καλῶς ζῆν αἴτιοι γεγόνασιν.* Itaque saepissime monet, ut factis suis honestis homo veritatis gloriam et fidem acquirat. Cf. orat. XV, § 278—80, orat. V. § 26.

[3] Cf. Rhet. lib. I, c. 2. 1356 a 13, I, 9 et II 1.

[4] Cap. 38, inde a p. 85, v. 21—p. 88 v. 2 (ed. Spengel) subditicium esse probanti Ipfelkofero (l. l. p. 27—35) assentior.

[5] c. 29 p. 56, 6—p. 57,10.

[6] p. 39, 7—11. cap. 36 p. 73, 15—18.

[7] p. 39, 21—p. 40,2. c. 29 p. 56,6—p. 57,10.

[8] Art. rhet. c. 36 p. 81 v. 1 sqq.: *Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον κἂν ἡμᾶς ἐπὶ μισθῷ συνηγορεῖν λέγῃ τις, ὁμολογήσαντες εἰρωνευσόμεθα, καὶ τὸν αἰτιώμενον ἡμᾶς ἐπιδείξομεν τοῦτο ποιοῦντα καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας. τῶν δὲ μισθῶν διαιροῦ τὰ εἴδη καὶ λέγε, ὡς οἱ μὲν ἐπὶ*

b) De Anaximene rerum scriptore.

Orator, qui cum esset causidicus, simulare se actorem et ex illius ingenio moribusque orationes facere consueverat atque diversissimas vitae et domesticae et publicae res apte et iucunde et probabiliter narrare debebat, optime praeparatus erat ad historiam, quae tum erat prorsus rhetorica, conscribendam, neque difficile ei erat res gestas depingere. Itaque, ut Theopompus, qui ita excellebat arte oratoria, ut Mausoli laudatione sua funebri praemium certaminis auferret, etiam ad historias scribendas felici eventu se convertit, ita Anaximenes misso munere praeceptoris scriptor rerum gestarum clarissimus evasit.

Ut autem florentibus antiquitatis temporibus scriptores summo studio omnibusque viribus unam scientiam vel artem amplecti satis habebant, qua maximam gloriam consequi cupiebant, ita sophistae litteras humanitatemque ad commune iudicium popularemque intelligentiam accommodare itaque pervulgare coeperunt. Nam id genus hominum, utpote qui ad quamvis virtutem discipulos exculturos se esse pronuntiarent, imprimis efficere debebant, ut qui audiebant, magnam de ingenio suo variaque doctrina opinionem haberent; itaque libris et orationibus de variis rebus conscriptis hominum diversissimorum oculos ad se convertere studebant, ut novos semper discipulos allicerent aemulisque pares essent. Quales ut designarent, posteriores scriptores, qui uno nomine scriptores optimae aetatis notabant, duo vel tria adicere et, cum saepe unum alterumve nomen omitterent, in errores confu-

---

χρήμασιν, οἱ δ' ἐπὶ χάρισιν, οἱ δ' ἐπὶ τιμωρίαις, οἱ δ' ἐπὶ τιμαῖς συνηγοροῦσιν· αὐτὸν μὲν οὖν ἀπόφαινε διὰ χάριν συνηγοροῦντα, τὸν δ' ἐναντίον λέγε οὐδὲ ἐπὶ μικρῷ μισθῷ συνηγορεῖν. ὅπως γὰρ λάβῃ ἀργύριον ἀδίκως, οὐχ ὅπως μη ἐκτίσῃ, δικάζεται.

sionesque incidere necesse fuit. Plerique igitur Anaximenem rhetora appellabant,[1] cum historicum immerito negligerent; certe Anaximenes rerum scriptor pluris habebatur saepiusque legebatur quam rhetor. Nam Alexandrini iudices, quicunque canones scripserunt, eum in decem rerum scriptorum optimorum numero posuerunt[2], gravissimique historici posteriorum temporum eum auctorem asciverunt et ad controversias diiudicandas usurpaverunt.

Maxime autem est dolendum nos ex paucis tenuibusque fragmentis male perspicere posse, quomodo historias suas disposuerit et explicaverit. Quarum ex ratione si minus veram, attamen verisimilem speciem capere nos posse putamus, ut, quae de Anaximenis historiis in medium afferuntur, ubi fieri potest, cum aequalibus comparemus, de quibus plura scimus. Nam sine dubio Anaximenes more rationeque ceterorum illius aetatis historiographorum res perscrutatus est et scripsit, quod ingenium fertile et fecundum prorsus ei defuit. Nunc autem ad inceptum redeo.

Atque initium capiam ab eo opere, quod rhetoricae propinquum est genere, quia res ad orationem propositam illustrandam adhibet. Cui operi titulus fuit

Βασιλέων μεταλλαγαί.

Hoc opus iuniori Anaximeni, quem nominat Diogenes Laertius, addictum est[3], quod Nicocles ille in fragmento commemoratus Euagorae filius esse putabatur, qui cum ab Antigoni partibus staret, a Ptolemaeo Lagida Cypri petitus

[1] Plut. Poplic. c. 9 . . . . *ὡς Ἀναξιμένης ὁ ῥήτωρ ἱστόρησεν.* Stob. Flor. 49, 17. Strab. XIII p. 589 (quamquam historicum sequitur proximo libro.)

[2] Bibl. Coislin. p. 597.

[3] a Meursio ad Chalcid. p. 286 tom. VI oper. ed. Lam. et a Vossio de histor. Graec. lib. I, c. 10. et vid. Jonsium de scriptoribus historiae philosophicae lib. I, c. 10. Francofurti 1659 p. 50.

in laqueum se induit Ol. CXVI, 1 (duodecimo anno post Alexandri obitum[1]. Cum vero de Nicocle', Philippi aequali, hic agi iure moneant Perizonius[2] et Ebertus[3], collabitur causa, cur iuniorem Anaximenem aliunde incognitum auctorem existimemus.

Ceterum quae de hoc Nicocle et de Euagora Diodorus narrat, tam confusa sunt, ut a fide abhorreant. Quas turbas, quantum fieri potest, tollere studet Adolphus Holmius.[4]

Index operis Anaximenei a duobus scriptoribus accurate nominatur. Apud Athenaeum[5] enim scriptum videmus: *Ἀναξιμένης δ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Βασιλέων μεταλλαγαὶ περὶ τοῦ Στράτωνος τὰ αὐτὰ ἱστορήσας διημιλλῆσθαί φησιν αὐτὸν Νικοκλεῖ τῷ τῆς ἐν Κύπρῳ Σαλαμῖνος βασιλεύσαντι ἐσπουδακότι περὶ τρυφὴν καὶ ἀσέλγειαν, ἀποθανεῖν τ' ἀμφοτέρους βιαίως.* Stephanus autem Byzantius sub voce *Πασσαργάδαι,* cum eo ipso consilio excerpserit verba Anaximenis, ut nomen huius urbis feminini generis esse demonstraret, de argumento libri coniecturam facere vetat. Haec enim dixit: *τὰς δὲ Πασσαργάδας ἔκτισεν ὁ Κῦρος ἐφ'οὗ τόπου παραταξάμενος Ἀσινάγην ἐνίκησεν.*[6]

---

[1] Vid. Voss. l. l. p. 102 sq. (ed. Westermann).

[2] Ad. Aelian. Var. hist. VII, 2.

[3] Dissertat. Sicul. Regimontii 1825 p. 106 sq.

[4] Griech. Gesch. III. Band Berlin 1891. p. 355 sq. adnot. 2.

[5] Dipnosoph. (Ed. Kaibel. Lips. 1887—90.) XII, 531 D.

[6] Hic est locus Stephani: *Πασσαργάδαι, πόλις θηλυκῶς. Διότιμος ἐν ἑξηκοστῷ πέμπτῳ παντοδαπῶν ἀναγνωσμάτων παρατιθέμενος Ἀναξιμένην ἐν μεταλλαγαῖς βασιλέων οὕτω γράφοντα· τὰς δὲ Πασσαργάδας ἔκτισεν ὁ Κῦρος ἐφ' οὗ τόπου παραταξάμενος Ἀστυάγην ἐνίκησεν. ὀνομάζεται δὲ ἡ πόλις διερμηνευθεῖσα Περσῶν στρατόπεδον. Ἀπολλόδωρος δὲ ἀρσενικῶς φησιν, ἔοικε δὲ ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς εἰρῆσθαι· τάχα δὲ ὅπερ ἄμεινον, ἐπὶ μὲν τῆς πόλεως θηλυκῶς, ἐπὶ δὲ τῶν οἰκητόρων ἀνδρωνύμως.*

Quibus fragmentis viri commemorantur, qui postquam rebus secundis usi sunt, mutatam subito fortunam perpessi sunt. Inde licet concludere Anaximenis opere homines esse depictos, qui cum gloriosam vel iucundam vitam degentes invidiae et admirationi hominibus fuissent, dira calamitate aut violenta morte miseri deplorandique fierent. Itaque titulum Graecum „De fortunae regum vicissitudinibus“ vertimus.[1] Atque hoc fuisse consilium scriptoris ex nexu rerum apud Athenaeum narratarum cognoscitur. Qui ubi de mollitia urbium et regnorum egit, inde a cap. XII p. 528 E de singulorum hominum vita delicata disserit secutusque Theopompum narrat Stratonem, regem Sidonum, tam luxuriose et lascive vixisse, ut etiam Phaeaces ab Homero descriptos magnificentia conviviorum anteiret et cum in familiaritatem Nicoclis venisset, utrumque ad tantam helluationem processisse, ut alter alterius sumptibus praecellere studeret. Sed et Stratonem et Nicoclem violenta morte absumptos esse. Eademque ab Anaximene in eius libro narrata esse Athenaeus prodidit.

Quod propositum rhetori eloquenti optimam occasionem artis oratoriae ostentandae dedisse eumque ad tales res depingendas incitavisse facile est intellectu, praesertim cum aequales eius hoc genus scribendi adamavisse videantur. Demetrius quidem Phalereus libro, quem scribebat *περὶ Τύχης*, res gestas explicavit, ut doceret, quam infida fluxaque esset fortana. Cuius eximium fragmentum superest[2], quo, cum regnum Persarum ab Alexandro esse dele-

---

[1] Non bene vertit Ebert (Diss. Sic. p. 102): „Regum mortes“ vel „De mortibus regum“ (Schweighaeuserum et Lactantium secutus), quod hic titulus latius patet atque vox *μεταλλαγή* postea demum propria mutationis significatione abiecta pro morte est dicta.

[2] Müller. Fragm. hist. vol. II. Par. 1848. p. 368 fr. 19.

tum admonuit, tum de universa inconstantia rerum humanarum verba facit. Atque alii philosophi in libellis, quos de rebus moralibus ad commune iudicium popularemque intelligentiam accommodate scribebant, historiarum res enarrabant, ut a deis sceleribus tandem punitis solas virtutes coli ostenderent. Ita enim Heraclides Ponticus de iustitia disserens in libro secundo Milesios, quod mollitia turpi crudelitateque usi essent, in res adversas illapsos esse docuit [1] et in libro de laetitia ex Samiorum historia exemplum sumpsit.[2] Videmus igitur talia, quae et ad philosophiam et ad historiam pertinebant, ab aequalibus Anaximenis miro quodam studio arrepta esse. Qui utrum hoc opus prius an posterius conscripserit quam ceteras historias suas, ex parvis exiguisque reliquiis cognosci non potest.

Nunc autem ad rerum gestarum scripta transeamus. Quae quamquam sine dubio diu multumque sunt lecta, tamen eorum tam parva et tenuia fragmenta supersunt, ut historias illius cogitatione restituere difficilius sit multo quam aequalium Ephori et Theopompi.

Conscripsit autem Anaximenes universas res a Graecis gestas inde a prisca fabularum memoria usque ad novissimam Alexandri aetatis historiam easque ingentibus operibus tribus. Atque res quidem veteres comprehendit historia, cui nomen erat

Πρῶται ἱστορίαι.

Hunc solum titulum ab auctore esse inditum puto.[3]

---

[1] Athen. XII. 523 F—524 B.

[2] Ibid. 526 A.

[3] Quarto saeculo iamdudum ipsi scriptores libris suis vel orationibus editis nomen addebant, id quod antea omiserant. Cf.

Nam, qui prodidit eum, Athenaeus distincte dicit [1] hoc nomine inscribi, et Harpocratio [2], qui primum librum historiae Graecae laudat, de quibus rebus ageretur, generali titulo designasse videtur. Sed, si animum advertas ad eum, qui tertius idem scriptum indicavit, hanc partem primam fuisse cognoscas maioris operis, quod Hellenica nominatur. Haec enim sunt verba Diodori: [3] *Ἀναξιμένης δὲ ὁ Λαμψακηνὸς τὴν πρώτην* (sc. *σύνταξιν*) *τῶν Ἑλληνικῶν ἀνέγραψεν, ἀρξάμενος ἀπὸ θεογονίας καὶ ἀπὸ τοῦ πρώτου γένους τῶν ἀνθρώπων, κατέστροφε δ'εἰς τὴν ἐν Μαντινείᾳ μάχην καὶ τὴν Ἐπαμεινώνδου τελευτήν.* Et facile, quae altera fuerit et tertia *σύνταξις τῶν Ἑλληνικῶν,* invenimus: historiae fuerunt et Philippi et Alexandri, quae utique posterioribus temporibus cum primis historiis in unum corpus *Ἑλληνικά* inscriptum sunt coniunctae [4]. Itaque Harpocratio *Ἑλληνικά* eodem iure laudare potuit, quo *πρώτας ἱστορίας.*

Eduard. Lohan. De librorum titulis apud classicos scriptores Graecos nobis occurrentibus. Diss. inaug. Marpurgi 1890 p. 44 sq.

[1] VI, 231 C: *Ἀναξιμένης δ'ὁ Λαμψακηνὸς ἐν ταῖς Πρώταις ἐπιγραφομέναις ἱστορίαις κ. τ. λ.*

[2] s. v. *Ἀμφικτύονες.* Eadem Apostolius III, 4.

[3] XV, 89.

[4] Ita tria Theopompi opera postea in unum sunt coniuncta. Vid. Müller. F H G. I, p. LXIX. Atque Diylli historiae in plures *συντάξεις* distributae erant. Quarum prima pars spatium amplectebatur annorum sedecim (357-341) (Diod. XVI. 14,4), altera continebat, quae sequentibus annis quinque sunt gesta (Diod. XVI 76,5). Partis tertiae spatium accurate definiri nequit. (Müller Fragm. hist. II, p. 360.)

Quodsi *πρῶται ἱστορίαι*, i. e. Origines, ut Catonis ,titulo utar, ab ipso Anaximene nominata sunt ea volumina, quibus res omnes a fabulosa memoria usque ad Epminondae mortem narrabantur, conicere licet illa conscripta esse ad ea, quae iam edita erant, h. e. *τὰ περὶ Ἀλέξανδρον* et *Φιλιππικά* complenda. Etenim, quo tempore Ephori totius orbis terrarum historiae a Demophilo filio sunt publicatae[1], quas omnes sine dubio maxime admirabantur, quo tempore Theopompus ad historias suas supplendas Herodoti libros in epitomen coegit, in propinquo fuit, ut etiam Anaximenes aequali memoriae origines adiceret. Quae autem inde ab Epaminondae decessu usque ad Philippum regnum adeptum acta erant, ea depingendi occasionem habuit saepius in Philippicis narrandis.

Orsus esse narratur[2] Anaximenes historias suas ita ut eos, qui antea de eisdem rebus tractaverant, vituperaret, quod fortasse contra fidem et veritatem vel imperfecte vitioseque scripsissent, qua re ab eis, qui acta se agero culpaturi essent, se defenderet. Hic enim mos prooemiorum, ut castigentur ei, qui antea de eisdem rebus egerant, percrebruisse videtur inde ab antiquissimis temporibus. Nam Hecataeus priores vituperat praefatione, quemadmodum hic ab Herodoto culpatur. Itemque Herodotum carpsit Thucydides, et Theopompum ceteros scriptores eodem modo

---

[1] Diod. XVI, 14; cf. Athen. 232 D.

[2] Dion. Hal. Antiquitatum Romanarum quae supersunt. Rec. Kiessling. Lips. 1866—1867. I, 1 sq: *Τοὺς εἰωθότας ἀποδίδοσθαι τοῖς προοιμίοις τῶν ἱστοριῶν λόγους ἥκιστα βουλόμενος ἀναγκάζομαι περὶ ἐμαυτοῦ προειπεῖν. οὔτ ἐν τοῖς ἰδίοις μέλλων πλεονάζειν ἐπαίνοις, οὓς ἐπαχθεῖς οἶδα φανομένους τοῖς ἀκούουσιν, οὔτε διαβολὰς καθ' ἑτέρων ἐγνωκὼς ποιεῖσθαι συγγραφέων, ὥσπερ Ἀναξιμένης* (quod nomen iure Müllerus (Script. rer. Al. M. p. 34) pro *Ἀναξίλαος* scribi vult et Kiesslingius recepit) *καὶ Θεόπομπος ἐν τοῖς προοιμίοις τῶν ἱστοριῶν ἐποίησαν.*

atque Anaximenem calumniatum esse Dionysius prodidit, et nonnullis decenniis post Timaeus Philistum et Ephorum vehementer vituperavit, id quod Plutarchus in Dion. c. 36 explicavit. Atque Aristotelis exemplum secutus, qui diiudicatis priorum opinionibus suam doctrinam aperire consuevit, Theophrastus, cum in prooemiis scriptorum suorum de eis, quae alii bene aut male scripserant, disputaret, praecepta et sententias eorum reprehendebat et corrigebat. Qua autem ratione usus sit, ex fragmento historiae physicae, quod exstat *περὶ αἰσθήσεων καὶ αἰσθητῶν,* cognoscimus[1].

Sed redeo ad historias primas Anaximenis. Duodecim igitur libris teste Diodoro res gestas depinxit ab origine mundi ortuque generis humani ad pugnam ad Mantineam factam et decessum Epaminondae, qui finis erat historiarum. In quibus, quos fabularum auctores habebat, poetis ita usus est, ut aliquid veri eas habere ratus sophistarum ritu ad rationem mutaret et corrigeret. Quas fortasse ob hanc quoque causam tractandas sibi proposuit, ut Theopompus[2], quod in hoc genere artem pulchre et acute narrandi rhetor ostentaturum se esse confidebat. Nam, ubi fieri poterat, res fabularum involucris exutas ad veritatis lucem reducebat, quod id, quod de amphictyonum synedrii nomine paulo infra comperiemus, docebit. Et, quae nondum historiae lumine examinata, quam brevissime absolvit. Nam duorum, quae ex primo libro supersunt fragmenta, alterum, quo Eriphyles monile, quod tum esset

---

[1] Vid. Usener. Analecta Theophr. p. 27 sq. Diels, Doxogr. Gr. Berol. 1879 p. 103.

[2] Strab. I, p. 74 A. (frg. 29 coll. Müller.): *Θεόπομπος δὲ ἐξομολογεῖται φήσας, ὅτι καὶ μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐρεῖ κρεῖττον ἢ ὡς Ἡρόδοτος καὶ Κτησίας καὶ Ἑλλάνικος καὶ οἱ τὰ Ἰνδικὰ συγγράψαντες.*

aurum rarum, famosum fuisse narratur[1], ad fabulas spectat, alterum iam ad historiam. Quo comperimus[2] amphictyonum tribunal a Graecis, qui foedus inierant, circa Delphos habitantibus nomen habuisse, cum Theopompus nomen idem a rege fabuloso Amphictyone, filio Deucalionis, ductum esse putaverit.

Plenissimus autem atque accuratissimus fuit Anaximenes ut erat temporum illorum — nam Ephorus et Theopompus idem fecerunt — in urbibus terrisque definiendis et describendis. Itapue a Strabone geographo, ut apparet, magni habitus saepiusque usurpatus est. Qui ex illius primis historiis praeter alias etiam in Erythraea et in Phocide et in Thessalia Colonas sitas esse didicit[3], quaeque de Milesiorum coloniis attulit, ex iis sumpsit.[4] Neque modo haec ex Anaximene profluxerunt, sed totum caput[5]: *Καὶ ἡ Λάμψακος δ'ἐπὶ θαλάττῃ πόλις ἐστὶν εὐλίμενος καὶ ἀξιόλογος, συμμένουσα καλῶς, ὥσπερ καὶ ὁ Ἄβυδος. διέχει*

---

[1] Athen. VI, 231 C: *Ἀναξιμένης δ'ὁ Λαμψακηνὸς ἐν ταῖς Πρώταις ἐπιγραφομέναις ἱστορίαις τὸν Ἐριφύλης ὅρμον διαβόητον γενέσθαι διὰ τὸ σπάνιον εἶναι τότε χρυσίον παρὰ τοῖς Ἕλλησιν.*

[2] Harpoc. s. v. *Ἀμφικτύονες. συνέδριόν τί ἐστιν Ἑλληνικὸν συναγόμενον ἐν Θερμοπύλαις· ὠνομάσθη δὲ ἤτοι ἀπὸ Ἀμφικτύονος τοῦ Δευκαλίωνος, ὅτι αὐτὸς συνήγαγε τὰ ἔθνη βασιλεύων, ὥς φησι Θεόπομπος ἐν ὀγδόῃ. ταῦτα δὲ ἦν δώδεκα· Ἴωνες, Δωριεῖς, Περραιβοί, Βοιωτοί, Μάγνητες, Ἀχαιοί, Φθιῶται, Μηλιεῖς, Δόλοπες, Αἰνιᾶνες, Δελφοί, Φωκεῖς. ἢ ἀπό τοῦ περιοίκους εἶναι τῶν Δελφῶν τοὺς συναχθέντας, ὡς Ἀναξιμένης ἐν α' Ἑλληνικῶν.* (Apostol. III. 4.)

[3] Strabo. XIII p. 589 (Rec. Meineke Lip. 1877): *Ἀναξιμένης δὲ καὶ ἐν τῇ Ἐρυθραίᾳ φησὶ λέγεσθαι Κολωνὰς καὶ ἐν τῇ Φωκίδι καὶ ἐν Θετταλίᾳ.*

[4] De sitibus urbium hoc fragmento allatarum vid. R. Stiehle. Zu den Fragmenten der griech. Histor. Philol. 9 (1854) p. 464.

[5] Strab. XIII, p. 589. § 18 sq.

δ'αὐτῆς ὅσον ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν σταδίους. ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Πιτυοῦσσα, καθάπερ καὶ τὴν Χῖον φασίν· ἐν δὲ τῇ περαίᾳ τῆς Χερρονήσου πολίχνιόν ἐστι Καλλίπολις, κεῖται δ' ἐπ' ἀκτῆς ἐκκειμένη πολὺ πρὸς τὴν Ἀσίαν, κατὰ τὴν Λαμψακηνῶν πόλιν, ὥστε τὸ δίαρμα μὴ πλέον εἶναι τετταράκοντα σταδίων. Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ Λαμψάκου καὶ Παρίου Παισὸς ἦν πόλις καὶ ποταμός· κατέσπασται δ'ἡ πόλις, οἱ δὲ Παισηνοὶ μετῴκησαν εἰς Λάμψακον, Μιλησίων ὄντες ἄποικοι καὶ αὐτοί, καθάπερ καὶ οἱ Λαμψακηνοί, ὁ δὲ ποιητὴς εἴρηκεν ἀμφοτέρως, καὶ προσθεὶς τὴν πρώτην συλλαβὴν „καὶ δῆμον Ἀπαισοῦ", καὶ ἀφελὼν „ὕς ῥ ἐνὶ Παισῷ ναῖε πολυκτήμων" καὶ ὁ ποταμὸς νῦν οὕτω καλεῖται. Μιλησίων δ'εἰσὶ καὶ αἱ Κολωναὶ αἱ ὑπὲρ Λαμψάκου, ἐν τῇ μεσογαίᾳ τῆς Λαμψακηνῆς· ἄλλαι δ'εἰσὶν ἐπὶ τῇ ἐκτὸς Ἑλλησποντίᾳ θαλάττῃ, Ἰλίου διέχουσαι σταδίους τετταράκοντα πρὸς τοῖς ἑκατόν. ἐξ ὧν τὸν Κύκνον φασίν. Ἀναξιμένης δὲ καὶ ἐν τῇ Ἐρυθραίᾳ φησὶ λέγεσθαι Κολωνὰς καὶ ἐν τῇ Φωκίδι καὶ ἐν Θετταλίᾳ.

Huius capitis originem ut demonstremus, ab alio loco, quem paulo infra apud Strabonem scriptum videmus, initium est capiendum. Ibi enim geographus, quae de origine et conditoribus et portubus Mileti narraret, ex Ephoro sumpta esse dicit.[1] Cum vero de coloniis Milesiorum, quae maximae essent eorum res gestae, acturus esset, Anaximenis libro evoluto hunc auctorem secutum colonias se enumerare professus est, addidit autem se plures colo-

---

[1] (Geographica. Rec. Aug. Meineke Lips. 1877 vol. III) XIV, 6 (XIV C, 634 sq.): Φησὶ δ' Ἔφορος τὸ πρῶτον κτίσμα εἶναι Κρητικόν, ὑπὲρ τῆς θαλάττης τετειχισμένον, ὅπου νῦν ἡ πάλαι Μίλητος ἐστι, Σαρπηδόνος ἐκ Μιλήτου τῆς Κρητικῆς ἀγαγόντος οἰκήτορας καὶ θεμένου τ'οὔνομα τῇ πόλει τῆς ἐκεῖ πόλεως ἐπώνυμον, κατεχόντων πρότερον Λελέγων τὸν τόπον· τοὺς δὲ περὶ Νηλέα ὕστερον τὴν νῦν τειχίσαι πόλιν. ἔχει δὲ τέτταρας λιμένας ἡ νῦν, ὧν ἕνα καὶ στόλῳ ἱκανόν.

nias accepisse et oblata occasione afferre.[1] Cur igitur Anaximene usus est, Ephoro uti non perrexit? Non quia hic colonias Milesiorum tractare omiserat — nemo istud dicat —, sed quia apud Anaximenem se plura et meliora inventurum esse sperabat, quam apud illum. Concludimus igitur ab Anaximene, quaecunque ad patriam eius spectabant, quaeque ad Milesiorum colonias, quarum in numero erat Lampsacus, et ad descriptionem eius urbis locorumque vicinorum pertinebant, accuratissime et diligentissime narrata esse, ut Straboni certe visum est. Hoc quidem perspicimus, Strabonem de talibus rebus, etiamsi alium fontem in manibus habebat, tamen ad Anaximenem recurrisse. Quae dum consideramus, eo adducimur, ut credamus, quae de Lampsaco a Strabone narrata sunt, §§ 18—19, ex Anaximene profluxisse.

Atque haec opinio eo confirmatur, quod urbs ibi eximie laudatur (*πόλις ἐστὶν εὐλίμενος καὶ ἀξιόλογος, συμμένουσα καλῶς*), quod res parvi momenti eaeque ignotae narrantur, ut nomen antiquissimum Pityussa cum Chio compositum, qua in insula Homerum natum esse Anaximenis iudicio alibi comperimus,[2] quod denique de Paeso, quae insula in Milesiis coloniis fuisse ab Anaximene prodita est,[3]

---

[1] Ibidem: *Πολλὰ δὲ τῆς πόλεως ἔργα ταύτης, μέγιστον δὲ το πλῆθος τῶν ἀποικιῶν· ὅ τε γὰρ Εὔξεινος πόντος ὑπὸ τούτων συνῴκισται πᾶς καὶ ἡ Προποντὶς καὶ ἄλλοι πλείους τόποι. Ἀναξιμένης γοῦν ὁ Λαμψακηνὸς οὕτω φησί, ὅτι καὶ Ἴκαρον τὴν νῆσον καὶ Λέρον Μιλήσιοι συνῴκισαν, καὶ περὶ Ἑλλήσποντον ἐν μὲν τῇ χερρονήσῳ Λίμνας, ἐν δὲ τῇ Ἀσίᾳ Ἄβυδον, Ἄρισβαν, Παισόν· ἐν δὲ Κυζικηνῶν νήσῳ Ἀρτάκην, Κύζικον· ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τῆς Τρῳάδος Σκῆψιν. Ἡμεῖς δ' ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα λέγομεν καὶ τὰς ἄλλας τὰς ὑπὸ τούτου παραλελειμμένας.*

[2] Vide infra adn. (supra p. 13).

[3] Vide infra adn.

tam accurate perscriptum est. Neque enim intellegeremus, quare hoc oppidulum minutum, quod iamdudum esse desiit, tanti momenti esse Straboni videretur, ut originem pristinam eius sortemque posteriorem et nomina diversa, quae Homerus ei dat, in medium proferret,[1] nisi narraret Paesenos olim ex domicilio suo in Lampsacenorum urbem transmigrasse. Ita enim perspicitur, quid Lampsaceni scriptoris interesse potuerit, ducimurque ad Anaximenem, quem exeunte capite in Colonis diversis enumerandis se auctorem habuisse Strabo prodit.

Et nunc intellegimus, qua re geographus apposuerit: *Ἡμεῖς δ'ἐν τοῖς καθ'ἕκαστα λέγομεν καὶ τὰς ἄλλας τὰς ὑπὸ τούτου παραλελειμμένας·* Persuaserat enim sibi ab Anaximene, quae ad patriam eius spectabant, uberrime et accuratissime tractari ob eamque causam obstupefactus et spe deceptus est, cum ne ea quidem omnia nomina coloniarum Milesiarum reperiret, quae ipse sciret.

Et nunc ad reliqua fragmenta transeamus, quorum uno a Solone laudationum funebrium morem initium cepisse Anaximenes narravit, ita ut non fuerit primus epitaphius Junii Bruti.[2]

---

[1] Nam Strabonem, quamquam poetam saepe libenterque respiciebat, ut reliqui geographi, quandoquidem terrarum descriptio a commentatoribus Homeri, qui in Il. lib. II quasi primus Graecorum geographus fuisset, profecti erant, tamen oppiduli istius nomina, quae in Homero inveniuntur, sua sponte commemorasse vix credam. Hoc enim eius solum intererat, qui ob causam quandam, quaecunque ad Paesum pertinebant, cognita habebat, ergo ex Lampsaco-Paeso oriundus erat. Atque Lampsaceni imprimis in Homeri carminibus explicandis elaborasse videntur. Memineris enim velim Metrodori Lampsaceni, qui Platonis aetate interpres Homeri habitus est clarissimus. Vid. Platon. Ion. 530 C (cap. II).

[2] Plut. Poplic. c. 9: *Λέγεται δὲ καὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἐπιταφίων ἐκεῖνος* (sc. Iunii Bruti) *γενέσθαι πρεσβύτερος· εἴγε μὴ καὶ τοῦτο Σόλωνός ἐστιν ὡς Ἀναξιμένης ὁ ῥήτωρ ἱστόρηκεν.*

Altero autem fragmento, ut Thucydidem et Ephorum, Anaximenem quoque primos decem belli Peloponnesiaci annos bellum Archidamicum nominasse discimus.[1]

Haec habuimus, quae de Anaximenis primis historiis diceremus, cum fragmentorum exiguitate nec de operis dispositione nec de ratione enarrandi agere possimus. Unum autem addere liceat: aptissime Anaximenes pugnam ad Mantineam factam finem historiarum esse voluit. Nam hac pugna Thebani, quamquam Lacedaemoniorum viribus plane fractis in summum fastigium potentiae evecti erant, tamen quod tota fere gloria et felicitas eorum in uno Epaminonda positae erant, hoc interfecto in opibus suis amplificandis et stabiliendis nihil iam proficere potuerunt, itaque ad Mantineam, ut ita dicam, res gestae quasi stationem fecerunt. Quaeque tum a Graecis memorabiliter geruntur, a Macedonibus proficiscuntur. Atque hunc finem historiarum eo magis Anaximenes probavit, quod Xenophon quoque pugnam ad Mantineam factam extremam Hellenicorum esse voluerat. Nam Graecorum historiographi exemplum eorum, qui antea de rebus gestis scripserant, respiciebant et, si poterant, sequebantur.

Iam autem ad alterum magnum opus historiarum pergamus, quod tempore primis historiis praecessisse verisimillimum est. Cuius titulus affertur

Φιλιππικά,[2]

rarius ab Harpocratione, cum non prodit, in quo libro

---

[1] Harpocr. *Ἀρχιδάμιος πόλεμος. Τὰ πρῶτα δέκα ἔτη τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου Ἀρχιδάμιος ἐκλήθη πόλεμος, ὡς ἔοικεν, ἀπὸ τοῦ τὸν Ἀρχίδαμον εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐμβαλεῖν, καθὰ Θουκυδίδης καὶ Ἔφορος καὶ Ἀναξιμένης φασίν.* (Inde Apostol. IV, 30.)

[2] ab Harpocrat. s. v. *Πεζέταιρος*, s. v. *Ἁλόννησος*, s. v. *Καθύλη*.

scriptum viderit, quod narrat, singulari numero laudatur;[1] vel τὰ περὶ Φίλιππον ab Anonymo[2] comment. in Aristot. Eth. Nicom. III, 11, semel etiam ab Harpocratione.[3] Quo in opere ad minimum octo libris res conscriptae erant.

Unde vero scriptor historias inchoaverit, utrum omnes Macedonum reges inde a Carano[4] vel, ut Herodotus et Thucydides, tribus primis omissis a Perdicca commemoraverit, an eos tantum, a quibus res praeclarissime factae erant, non proditur. Sed, cum Alexandri aetate non, ut ab Herodoto et Thucydide, Perdiccas primus rex Macedonum putaretur, sed tres huic praecessisse vulgo crederent, quorum nomina Macedones invenerant, ut regum suorum maiores Argis oriundos esse demonstrarent, sine dubio Anaximenes quoque a Carano regnum Macedonum initium cepisse docuit. Nec tamen omnium regum facta a Lampsaceno descripta vel commemorata esse puto. Nam, si scutus est praeceptum, quod ipse de laudationum prooe-

---

[1] s. v. Μύρτανον et s. v. ὁ κάτωθεν νομος.

[2] Commentaria in Aristotelem Graeca. Vol. XX ed. Heilbut. Berol. 1892. p. 166,3 (Arist. p. 1116 b.)

[3] s. v. Μάστειρα.

[4] Haec sunt nomina regum Macedonum usque ad Alexandrum Magnum ab Eusebio allata: I) Caranus. II) Coenus. III) Thurimas. IV) Perdiccas I. V) Argaens I. VI) Philippus I. VII) Aeropus I. VIII) Alcetas. IX) Amyntas I. Et, cum nunc satis constet, quamdiu reges Macedonum inde ab Alexandro I regnaverint, numeros addam:

X) Alexander I	regnavit	44	ann.	ab	a.	498—454.
XI) Perdiccas II	"	41	"	"	"	454—413.
XII) Archelaus I	"	14	"	"	"	413—399.
XIII) Orestes	"	3	"	"	"	399—396.
XIV) Aeropus, qui sub nomine Archelai II rex erat,	regnavit	4	ann.	ab	a.	396—392.

miis dabat, clarissimorum facta enumerare satis habuit.[1] Morte autem Philippi opus finitum esse consentaneum est.

Ac primo libro, quae Philippo superiores reges Macedonum clare gesserant, Anaximenes descripserat vel potius strinxerat. Nam de Perdicca Anaximenem nihil comperimus nisi hunc quadraginta annis ante Archelaum

---

XV) Amyntas II	regnavit	$1^1/_2$=2	ann.	ab	a.	392—390.
XVI) Pausanias	„	$1^1/_2$=1	„	„	„	390—389.
XVII) Amyntas III	„	6	„	„	„	389—383.
XVIII) Argaeus II	„	2	„	„	„	383—381.
XIX) Amyntas III	„	12	„	„	„	381—369.
XX) Alexander II	„	1	„	„	„	369—368.
XXI) Ptolemaeus I	„	3	„	„	„	368—365.
XXII) Perdiccas III	„	$5^1/_2$=6	„	„	„	365—359.
XXIII) Philippus II	„	$23^1/_2$=23	„	„	„	359—336.

Vid. Alf. v. Gutschmid, Kleine Schriften. Herausgeg. von Rühl. 4. Band. Leipz. 1893. p. 38 sq.

[1] Haec enim scriptor callidus (c. 35 p. 69, v. 4—20 ed. Spengel): *ἐὰν μὲν ὦσιν οἱ πρόγονοι σπουδαῖοι πάντας ἐξαρχῆς ἀναλαβόντες μέχρι πρὸς τὸν ἐγκωμιαζόμενον ἐφ᾽ ἑκάστῳ τῶν προγόνων κεφαλαιωδῶς ἔνδοξόν τι περιτιθέναι. ἐὰν δὲ οἱ πρῶτοι μὲν ὦσι σπουδαῖοι, τοὺς δὲ λοιποὺς συμβέβηκε μηδὲν ἀξιόλογον πρᾶξαι, τοὺς μὲν πρώτους τὸν αὐτὸν τρόπον διελθεῖν, τοὺς δὲ φαύλους παραλιπεῖν, προφασισάμενον ὅτι διὰ πλῆθος τῶν προγόνων οὐ θέλεις λέγων αὐτοὺς μακρολογεῖν, ἔτι δὲ οὐκ ἄδηλον εἶναι πᾶσιν, ὅτι τοὺς ἐξ ἀγαθῶν γενομένους εἰκός ἐστι τοῖς προγόνοις ὁμοιοῦσθαι. ἐὰν δὲ οἱ παλαιοὶ πρόγονοι φαῦλοι τυγχάνωσιν ὄτες, οἱ δὲ πρὸς αὐτὸν ἔνδοξοι, τούτοις δεῖ γενεαλογεῖν καὶ λέγειν ὅτι περὶ μὲν ἐκείνων περίεργον ἂν εἴη μακρολογεῖν, τοὺς δὲ πλησίον γεγονότας τῶν ἐπαινουμένων, τούτους ὄντας ἀγαθοὺς ἐπιδείξειν, καὶ δῆλον ὡς οἵ γε τούτων πρόγονοι σπουδαῖοί τινες ἦσαν. οὐ γὰρ εἰκὸς φανῆναι τοὺς τοιούτους καλοὺς ἢ ἀγαθοὺς εἶναι ἐκ μοχθηρῶν προγεγονότας.*

regnavisse,[1] qui numerus ab Acanthii Nicomedensis et auctoris marmoris Parii uno anno differt, cum diversitas Theopompi, Hieronymi, Marsyae, Philochori maxima sit. Spatium autem quadraginta vel quadraginta unius annorum est praeferendum. Nam, si minor numerus probaretur, aetas Alexandri, quem iam ante annum 500, quo regnare incipiebat, adultum fuisse apparet,[2] si filius, qui etiam extremo anno 414 vivebat, ob eam causam anno demum 437 successisset, immensis finibus describenda esset[3]. Qui autem factum sit, ut ab aliis scriptoribus alii numeri afferrentur, etiam nunc perspici potest. Demonstravit enim Abelius[4], cum enarraret, quae post mortem Alexandri facta essent, eos, qui triginta tres annos regnavisse Perdiccam proderent, tempus, quo una cum fratribus in singulis partibus Macedoniae regnaret, addere omisisse, sed regnum eius coepisse, postquam rerum potitus esset, cre-

---

[1] Athen. V, 217 D. E.: *Περδίκκας τοίνυν πρὸ Ἀρχελάου βασιλεύει. ὡς μὲν Ἀκάνθιός φησι Νικομήδης, ἔτη τεσσαράκοντα ἕν· Θεόπομπος δὲ τριάκοντα πέντε, Ἀναξιμένης τεσσαράκοντα, Ἱερώνυμος εἴκοσιν ὀκτώ, Μαρσύας δὲ καὶ Φιλόχορος εἴκοσι τρία.*

[2] Justin. VII, 3.

[3] Clintonis Fasti Hellenici. Ex altera Anglici exemplaris editione conversi a C. G. Kruegero. Lips. 1830 p. 238: „Perdiccas vivus erat extremo anno 414, minimum sexto et octogesimo post quam pater eius Alexander rex factus erat, circiter tertio et nonagesimo post res 507 actas, quo tempore Alexander adolescens erat. Itaque minus probabile est, quod tantum tres et viginti annos regnasse dicitur, proinde regnum adeptus 437: qua ratione Alexander amplius sexaginta annos [500—437] regnasset vixissetque septuaginta annis postquam adultus fuerat. Iure igitur Dodwellus longiora eius regni quae posita sint tempora magis verisimilia esse censet statuitque Perdiccam 454 regnum adeptum esse. Hac ratione utrumque regnum fuerit 45 + 41 = 86 annorum."

[4] Makedonien vor König Philipp, Leipz. 1847 p. 165 sqq.

didisse, et Theopompum, quamdiu Alcetas II, maximus fratrum, sive solus sive simul cum fratribus rex esset, etiam Perdiccae regnum fuisse negasse itaque triginta quinque annos huius regno dedisse.[1] (Cf. Gutschmid l. l. p. 33 sq.)

Etiam de Alexandro in Philippicis rhetor locutus est. Quod cum iam in primo libro fiat, ad Amyntae filium spectare videtur. Sed utrum ad Alexandrum I, Amyntae filium, ut Müllerus voluit, an ad Alexandrum II, Amyntae filium, ut Droysenius,[2] pertinet? Ad neutrum dico. Ait enim Harpocratio[3] ab Alexandro nobilissimos equis uti assuefactos *ἑταίρους*, plurimos autem, qui essent pedestres, ubi in ordines distribuisset, *πεζεταίρους* appellatos esse, ut utrique amicitiae regis participes promptissimis animis essent, Anaximenem in primo libro Philippicorum dixisse. Sed milites Macedonum *ἑταίρους* appellatos esse iam antiquissimis temporibus perspicuum est, quod hoc ipsum est institutum Macedonum proprium, quod a nobili comitatu

---

[1] Coniecit Abel p. 169 sq: 1) Alcetam II solum (vel fortasse una cum Philippo et Perdicca fratribus) regnasse ab ann. 454—448, 2) Philippum et Perdiccam fratre regno pulso regnasse ann. 448—436, 3) Perdiccam tyrannum totius Macedoniae fuisse ann. 436—413. Theopompus igitur Perdiccam, quem regnum adeptum esse a. 448 sibi persuasisset, 35 annos regnasse prodidit, Marsyas autem et Philochorus, quod Perdiccam, cum rerum potitus esset, regem fuisse putarent, 23 annos regnasse censuerunt.

[2] Gesch. d. Hellen. I. Teil. 2. Aufl. Gotha 1877 p. 83 adn. 1.

[3] s. v. *Πεζέταιρος, Δημοσθένης Φιλιππικοῖς· Ἀναξιμένης ἐν α' Φιλιππικῶν περὶ Ἀλεξάνδρου λέγων φησίν· „Ἔπειτα τοὺς μὲν ἐνδοξοτάτους ἱππεύειν συνεθίσας ἑταίρους προσηγόρευσε, τοὺς δὲ πλείστους καὶ τοὺς πεζοὺς εἰς λόχους καὶ δεκάδας καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς διελὼν πεζεταίρους ὠνόμασεν, ὅπως ἑκάτεροι μετέχοντες τῆς βασιλικῆς ἑταιρίας προθυμότατοι διατελῶσιν ὄντες.* Eadem Photius et Suidas.

stipationeque regis est profectum.[1] Atque ἑταῖροι primi Archelao iam regnante (413—399) nominantur. Hic igitur nil tradi potest nisi, quoniam equitibus iamdudum ἑταῖροι nomen erat, pedites πεζεταίρους appellatos esse. Sed haec distributio Philippo III demum ascribritur.[2] Et Harpocratio, si Alexandrum, Amyntae filium, dixisset, vix patrem apponere neglexisset et, cum duo essent huius nominis, tempus regnandi significasset. Quod Alexandrum solum nominat, de Magno cogitari consentaneum est.

Itaque eius narrationem ad regem Macedonum maximum spectare mihi persuasi, qui cum de Philippi vel praecedentium exercitus formis ageretur, id quod pater vel maiores coeperant, amplificasse et confecisse ab Anaximene iam hic memorabatur. Recte enim Abelius[3] hoc loco de Alexandro Magno, qui exercitui Macedonum Persas insereret, agi credebat. Cui rei assentieris, si haec inspexeris verba Arriani[4]: ὡς δὲ τὰ Περσῶν τε καὶ Μήδων αὐτοῖς ἐξηγ-

---

[1] Iwan v. Mueller u. Adolf Bauer. Die griech. Privat- und Kriegsaltertümer. 2. Aufl. Münch. 1893. p. 424: „Das Heer der Makedonen ist aber dennoch (sc. quamquam Philippi exercitus ad exemplum Graecorum ordinatus erat) ein eigenartiges Gebilde, denn es ist unmittelbar aus der adeligen Genossen- oder Gefolgschaft des Königs erwachsen. Während der Bürger der griechischen Kantone als solcher Hoplit oder Reiter im Aufgebote war, so sind dagegen die Makedonen, ursprünglich freilich nur der Adel, späterhin aber auch die Bauern dem König persönlich verpflichtet. Dies zeigen ihre Benennungen: sie heissen auch als Truppen die „Genossen" des Königs, "Hetären" als Reiter und „Pezetären" als Fusssoldaten."

[2] Lex. Rhet. p. 289.

[3] Makedonien vor König Philipp. Leipzig 1847. p. 131 adnot. I. „Wahrscheinlich," inquit. p. 132, „spricht Anaximenes von der Aufnahme der Perser unter die Hetären."

[4] Anab. VII, 11,3.

γέλλετο, αἵ τε ἡγεμονίαι Πέρσαις διδόμεναι καὶ ἡ στρατιὰ ἡ βαρβαρικὴ ἐς λόχους τε καταλεγομένη καὶ τὰ Μακεδονικὰ ὀνόματα ἄγημά τι Περσικὸν καλούμενον, καὶ πεζέταιροι Πέρσαι καὶ ἀργυρασπίδων τάξις Περσικὴ καὶ ἡ τῶν ἑταίρων ἵππος, καὶ ταύτης ἄλλο ἄγημα βασιλικὸν οὐκέτι καρτεροὶ σφῶν ἦσαν. Hoc si verum est, Philippica post annum, ubi Persas in suas copias recepit, conscripta vel edita aut retractata sunt.

Ab Anaximene etiam, quae annis 363 sqq. fiebant, primo libro narrata esse papyri fragmento in Aegypto invento[1] discimus. Quod ex lexico ad Demosthenis Aristocrateam explicandam conscripto excerptum est[2] et altera parte de Miltocythe (ad Dem. Arist. § 104 et § 169) exponit, quae apud Harpocrationem non scripta videmus, cum altera parte de verbis quae sunt *ὁ κάτωθεν νόμος* aliunde cognita parumque dissentientia comperiamus.

Cuius verba, quae ad Anaximenem spectant, a Blassio restituta haec sunt:[3])

Καὶ Ἀναξιμ[ένης ἐν τῆι α' τῶν Φιλιππικῶν ἱστορεῖ τὴν ἀ[πόστασιν τὴν ἀπὸ Κότυος· ἐν δὲ τῆι β' τὴν π[ροδοσίαν τὴν ὑπὸ τοῦ Σμικυθίωνος κ[αὶ τὴν ἀναίρεσιν τὴν Μιλτοκύθου.

Miltocythes enim, qui a Cotye, Thraciae rege, defecerat, mense fere postquam pugna ad Mantineam facta erat (12. Sept. 362[4]), Athenas legatos misit, qui foedus icerent et Chersonesum se redditurum esse promitterent[5].

---

[1] F. Blass. Neue Papyrosfragmente im Aegyptischen Museum zu Berlin. Hermes 17 (1882) p. 149 sqq.

[2] Blass l. l. p. 150.

[3] l. l. p. 150. frg. A. v. 17–20.

[4] Schäfer. Demosthenes und seine Zeit. I, 130.

[5] Apollod. s. c. Polycl. 5 p. 1207, 18: *Μιλτοκύθης δ' ἀφειστήκει ἀπὸ Κότυος καὶ πρέσβεις ἐπεπόμφει περὶ συμμαχίας βοηθεῖν κελεύων καὶ τὴν Χερρόνησον ἀποδιδούς.*

Quam defectionem primo libro Philippicorum ab Anaximene narratam esse papyri fragmento cognoscimus.

Charidemus autem nonnullis annis post, cum, ut opes Atheniensium frangeret, imperatorem eorum Cephisodotum Ol. 105,2 = 359[1] adeo in angustias compulisset, ut cum Cersoblepte foedus iniret, Miltocythen proditione sub potestatem suam redactum Cardianis tradidit, qui eum crudelissime occiderunt.[2]

Et in fragmento maxime mutilato verba Theopompi excerpta videmus, quibus Miltocythes, qui cum Cersoblepten adolescentem Cotye mortuo non timeret, regnum appetebat, postquam initio rem bene gessisset, a Smicythione tandem proditus interiisse fertur.[3] Quam proditionem Smicythionis et sine dubio necem quoque Miltocythae Anaximenem libro secundo narravisse papyro accepimus.

Igitur a vero aberrare nos non putamus, cum dicimus, quaecunque, antequam Philippus regnum adeptus est, facta erant, primo libro ab Anaximene commemorata esse; nam, cum Miltocythes caperetur et occideretur, Philippum iam regem fuisse Blassius[4] iure videtur conicere.

Exstat[5] porro descriptio pugnae. ad Coroneam Ol.

---

[1] Schäfer I, 159.

[2] Demosth. Aristocr. 165 p. 675 sqq. 169 p. 676, 27 sqq. 175 p. 679,4—11.

[3] Blass. l. l. p. 153.

[4] l. l. p. 154.

[5] Commentaria in Aristotelem Graeca. Vol. XX. Ed. Heylbut. Berol. 1892 p. 165,24. *Ἕρμαιον ἐν Κορωνείᾳ τῆς Βοιωτίας τόπος οὕτως λεγόμενος πεδινὸς ἐν αὐτῇ, τῶν ἄλλων ἀνωμάλων ὄντων, ἐν ᾧ παρατετυγμένοι ποτὲ Κερωνεῖς σὺν τοῖς βοηθήσουσιν αὐτοῖς στρατιώταις ἐκ τοῦ Μεταχοίου μετὰ τῶν βοιωταρχῶν, ὅτε τὴν πόλιν κατέλαβε καὶ την ἀκρόπολιν εἶχεν ὑφ'ἑαυτῷ Ὀνόμαρχος ὁ Φωκεὺς προδοθεῖσαν αὐτῷ, αὐτοὶ μὲν μείναντες ἀπέθανον ὑπὸ τῶν ἀμφὶ τὸν Ὀνόμαρχον, ἀποκλείσαντες τὰς πύλας, ἵνα αὐτοῖς μηδὲ βου-*

106,4 = 353 factae, quam partim ex Philippicorum Anaximenis libro quarto profluxisse verisimile est. Nec tamen quidquam de eius ratione scribendi cognosci potest, quod auctor descriptionis etiam Cephisodorum et Ephorum inspexisse videtur. Hic autem est nexus rerum. Philippus Methone urbe capta, ubi in Thessaliam profectus est incolis contra Lycophronem et Pitholaum tyrannos auxilium laturus, ab Onomarcho, duce Phocensium, qui cum Lycophrone se coniunxerant, bis fugatus e Thessalia cessit, ut bellum novum pararet.[1] Interea Onomarchus Ol. 106,4, anni 352 ineunte vere[2] in Boeotiam profectus Coroneam urbem arcemque proditam in suam potestatem redegit. Coronaei autem, qui ad Hermaeum prope Coroneam aciem instruxerant, portis clausis, ne quis fugere patriamque deserere posset, resistentes ab Onomarchi militibus occisi sunt, cum copiae Boeotorum, quae ex Metachoeo Coronaeis auxilio venire iussae erant, ubi unum ex boeotarchis, Charonem, cecidisse animadverterunt, ineunte statim pugna fugissent.

Quam pugnam Cephisodorus duodecimo libro de bello sacro, Anaximenes libro quarto Philippicorum, Ephorus libro tricesimo descripsisse dicuntur.

In eodem libro commemoratam esse de Halonneso

λομένοις εἴη φυγεῖν καὶ καταλιπεῖν τὴν πατρίδα. οἱ δὲ τῶν Βοιωτῶν βοηθήσαντες αὐτοῖς στρατιῶται ἐκ τοῦ Μεταχοίου, ἔφυγον εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς μάχης αἰσθόμενοι ἕνα τεθνάναι τῶν βοιωταρχῶν Χάρωνα. ἱστοροῦσι περὶ τῆς μάχης ταύτης Κηφισσόδωρος ἐν τῇ β' τῶν Περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου καὶ Ἀναξιμένης ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν Περὶ Φίλιππον καὶ Ἔφορος ἐν τῇ τριακοστῇ.

[1] Diod. XVI, 35. Polyaen. II, 38,2.

[2] Schäfer. Demosth. und seine Zeit. I, p. 507.

litem Harpocratio tradidit.[1] De qua accepimus haec: Philippus Halonneso, quae erat insula Atheniensium, piratis cum Sostrato duce expulsis potitus erat. Athenienses vero, cum a Philippo legatio, cui Pytho praeerat, exeunte Olympiadis 109 anno primo, aestate anni 343, advenisset, et ipsi Hegesippum legatosque ad regem Macedonum miserunt, qui et foedus mutatum ad illum referrent et cum alia tum Halonnesum reposcerent.[2] Quos legatos Philippus iniquo animo excepit neque quidquam iis obsecutus est. At Halonnesum insulam, quam piratis ereptam sub dicionem suam redegisset, poscentibus negatam donaturum se esse promisit.[3]

Et sine dubio Anaximenes, cum insulam a Macedone occupatam esse narraret, hanc causam esse controversiae postea de Haloneso ortae commemoraverat. Quando autem Halonneso sit potitus Philippus, est quaestio. Etenim, si paulo ante quam legati missi sunt (Ol. circiter CIX, 1) captam esse credamus,[4] perspici non pessit, quo tandem consilio Anaximenes in quarto iam libro, ex quo rem Ol. CVI, 4 gestam esse comperimus, illud commemoraverit. Itaque Boehneckius ei circiter tempori, quo Potidaeam Philippus expugnavit, vel non ita multo post, tribuit

---

[1] *Ἀλόννησος νησύδριον ἐν τῷ Αἰγαίῳ πελάγει· Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντα, ὡς καὶ Ἀρχέλαος ἐν δ' Εὐβοϊκῶν. μνημονεύει δὲ τῆς ἀμφισβητήσεως τῆς περὶ Ἁλοννήσου καὶ Θεόπομπος ἐν δ' καὶ Ἀναξιμένης ἐν δ' Φιλιππικῶν.*

[2] Winiewski. Commentarii historici et chronologici in Demosth. orat. do corona. Monasterii 1829. p. 129 sq. Schäfer II, p. 374. Adalbertus Hoeck. De rebus ab Atheniens. in Thracia et in Ponto ab anno a. Chr. CCCLXXVIII usque ad ann. CCCXXXVIII gestis. Diss. inaug. Kiliae 1876. Caput IV § 5 (LXV sqq.)

[3] Schäfer II p. 380 sqq.

[4] Ita Franciscus Winiewski l. l.

Halonnesum captam, id quod maximam habet probabilitatem. Nam Demosthenes, ut recte monuit ille, in orat. de coron. p. 248, 2, ubi Atheniensium possessiones, quas ante pacem Philippus ceperat, enumerat, Halonnesum cum Amphipoli, Pydna, (urbibus Ol. CV, 4 = 357) Potidaea (Ol. CVI, 1 = 356 captis) componit[1]. Age vero Philippi milites classis nuper conditae, quo tempore ad Lemnum et Imbrum appulsi incolas, qui erant cives Athenienses, in servitutem abducebant aliisque vim afferebant, cum Philippus ipse Ol. 106,1 = 356/5 cum Paeonibus Illyriisque pugnaret,[2] ne Halonneso quidem pepercisse satis probabile est.

At vero mirum est, cur Athenienses, cum Ol. 108,2=347 de pacis condicionibus ageretur, insulam suam non concupiverint, neque Philippus, ut de Amphipoli, ita de Halonneso quoque ad pacis foedus provocaverit. Quam difficultatem effugere studet Schaefer, cum putat initio occupationem exigui temporis fuisse, ut piratae detinerentur, et Ol. 109,1 redintegratam esse.[3]

Sed nescio quo pacto nemo usquam Halonnesum bis captam meminerit, ac ne Philippus quidem, cum se purgaret, quod intellexisset, quam non duraret securitas Halonnesi a se facta, insulam occupare coactum esse se contenderit. Quae cum ita sint, ego puto Athenienses, qui Halonnesum captam minus dolerent, cum Philippus, quam cum Sostratus eam teneret, eo demum tempore insulam parvulam desiderasse et flagitasse, quo Hegesippus in contione illud ipsum rogabat,[4] populusque aegre ferens, quod

---

[1] Karl Georg Böhnecke. Forschungen auf dem Gebiete der att. Redner u. der Gesch. ihrer Zeit. I Band. Berlin 1843. p. 440 adn. 2.

[2] vid. Schäfer. l l. II p. 27 sqq.

[3] l. l. II, p. 28 adn. 2.

[4] de Halonn. § 24 sqq.

legatio sua a Philippo tam indigne recepta esset, qualiacunque sibi postulando vindicare studebat. Atque Philippus, quod tam diu insulam a se servatam occupatamque in possessione integra habebat, ob id ipsum suam esse eam etiam atque etiam dicere et Atheniensibus se donaturum esse eam polliceri potuit. Sed ad ceteros Philippicorum libros transeamus.

Ac tribus sequentibus libris fortasse res inde ab Ol. CVII ad Ol. CIX octo annis gestae erant narratae.

Unico autem septimi libri fragmento res in Thracia (annis 342—339) gestas hic descriptas esse certiores fimus.[1] Qui locus Harpocrationis (et Photii et Suidae), qui ad Demosthenis orat. *περὶ τῶν ἐν Χερσονήσῳ* p. 100 § 22 pertinet, documento est commentatores orationum Demosthenicarum ab Anaximene has res uberrime et diligentissime explicitas esse putasse. Et, quae in Thracia accidebant, referre perrexit libro octavo, quod ex duobus fragmentis, quibus Cabylae et Myrtani situs commemorantur, intellegitur.[2] Sed ut perspiciamus, quasnam res fragmenta respiciant, paucis bellum illud adumbremus.

Diodorus exposuit[3] Philippum Ol. 109, 2 = 342[4] magnis cum copiis profectum, ut urbibus Cersobleptae

---

[1] Harpocr. *Μάστειρα. Μήποτε γραπτέον Βάστειραν ἢ Πίστειραν ἢ Ἐπίμαστον, ἐπεὶ ταύτας τὰς πόλεις εὑρίσκομεν παρ' Ἀναξιμένει ἐν ζ' τῶν περὶ Φίλιππον, τὴν δὲ Μάστειραν οὐδαμοῦ μνήμης τυχοῦσαν.*

[2] Harpocr. *Καβύλη: Χωρίον ἐστὶ τῆς Θρᾴκης, ὥς φησι Θεόπομπός τε ἐν μζ' καὶ Ἀναξιμένης ἐν η' Φιλιππικῶν. οὗτος δέ φησιν αὐτὸ ἱδρῦσθαι πρὸς Τάξῳ ποταμῷ κατὰ μέσον τῆς Θρᾴκης.* De situ Cabylae conf. G. Stiehle. Zu den Fragmenten der griech. Histor. Philol. 9(1854) p. 464 sq. et Schaeter II, p. 448 adn. 2. et Hoeck De reb. ab Athen. in Thracia gestis Kiliae 1876. p. LXIX adn. 8.

[3] XVI, 71.

[4] mense Maio, quod effici potest ex Demosth. Chers., quia eo tempore, quo oratio de Chersoneso habebatur, Philippus decem

regno finitimis contra illum auxilium ferret, Thraces compluribus proeliis vicisse victisque populis tributum imposuisse. Quorum contumaciam porro compressit oppidis, quae locis idoneis condebat.

Nomina igitur, quae ex Anaximene produntur, ad urbes pertinent, quibus captis Philippus Thracia est potitus, Cabyle autem et Myrtanum ad colonias praesidiis munitas, ut imperium Macedonis in Thracia obtinerent et tuerentur.[1]

Cuius belli descriptioni, quam duobus libris contineri videmus, etiam plures libros attributos esse (fortasse coepit iam in libro sexto) coniciendum est. Nam, quamvis breviter Diodorus res in Thracia gestas narraverit, quasi non ita multa ibi fierent, tamen est considerandum Theopompum de eodem bello, ex quo Philippus quarto demum anno revertit, quinque libris egisse,[2] atque regem compluribus victoriis partis Thraces non subegisse, sed pedetemtim terram occupasse.[3] Malimus igitur opinari duobus libris plures quam minores de hoc bello egisse, praesertim cum uberrime descriptum id esse ex Harpocrationis loco cognoscamus.

---

menses in Thracia erat (De Chers. p. 90 § 2, p. 98 § 35.) Quae oratio habita est anno 341, cum etesiae flarent, mense igitur Iulio (Dion. Hal. p. 737 ad Ammon. I, 10. De Chers. p. 93 § 14), postquam Philippus hiemem iam in Thracia versatus est. (Ibid. § 35.)

[1] Schäfer II. p. 447 sq. Hoeck l. l. cap. IV, 6 sqq. (p. LXVIII sqq.)

[2] Theopomp. libr. XLVI-L, Müller. frg. 244—248. 249 a. 253.

[3] Schäfer II p. 447: „Aber mit den Schlachten war der Krieg nicht zu Ende, die Thraker scheinen dem Feinde jeden Schritt streitig gemacht zu haben.“ adn. 3: „Von einem Rückzuge Philipps vor den Thrakern erzählt Polyän 4, 2, 13. Von der Ueberlistung einer thrakischen Stadt 4, 2, 4.“ Cf. Hoeck l. l. cap. IV § 8 p. LXIX.

Ephialtae vero facta utrum eodem libro narrata sint, an prioribus an nono fortasse, disceptari non potest. Nam Harpocratio[1] non prodit nisi in Philippicis axes et cyrbes ex acropoli in curiam et forum Ephialtem transtulisse dictum esse, quo ex facto Demosthenis interpretes sensum verborum „*ὁ κάτωθεν νόμος*“ explicaverunt.

Qua occasione data leges translatae essent, scriptum non reliquerunt. Atque de Ephialte omnino, dum Philippus vivebat, nihil accepimus nisi eum Demosthene auctore ad Ochum regem missum esse, ut socium redderet Persam Atheniensibus.[2] Et haec quidem hactenus.

Iam venimus ad tertium opus, quod ab Harpocratione bis nominatur

Τὰ περὶ Ἀλέξανδρον.

Tres huius supersunt fragmenta, ut historiarum ab aliis scriptoribus sine dubio saepissime usurpatarum veram speciem capere non iam possimus.

Sed de pueritia Alexandri eum non multa dixisse suspicari possumus, cum hoc sibi persuaserit[3]: *τοὺς παῖδας οὐχ οὕτω δι' αὐτοὺς ὡς διὰ τοὺς ἐφεστῶτας οἴονται κοσμίους εἶναι καὶ σώφρονας· διὸ βραχυλογητέον περὶ αὐτῶν.* Ac primum quidem fragmentum exstat apud Plutarchum,

---

[1] *Ὁ κατωθεν νόμος . . . . τοὺς ἄξονας καὶ τοὺς κύρβεις ἄνωθεν ἐκ τῆς ἀκροπόλεως εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ τὴν ἀγορὰν μετέστησεν Ἐφιάλτης, ὥς φησιν Ἀναξιμένης ἐν Φιλιππικοῖς.* Eadem apud Photium et in papyro iam laudato leguntur. Vid. Blass Neue Papyrusfragmente. Hermes 17 p. 151 fr. B. vers. 19 sqq.: . . . . *δύναται δὲ [καὶ διὰ τοῦτο κάτωθεν λέγ]εσθαι, ὅτι τοὺς ἄξ[ονας καὶ τοὺς κύρβεις ἄνωθε]ν ἐκ τῆς ἀκροπόλ[εως εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ τ]ὴν ἀγορὰν μετέ[στησεν Ἐφιάλτης, ὥς φησιν Ἀνα]ξιμένης ἐν τῆ(ι) — [τῶν Φιλιππικῶν].*

[2] Demosth. Phil. III, 71. Phil. epist. 6. Vita X orat. p. 847 F. 848 E.

[3] art. rhet. cap. 35. ed. Spengel. p. 70 v. 8—10.

qui dicit[1] ab Alexandro quadraginta tria milia peditum, quinque milia quingentos equites teste Anaximene in Asiam ductos esse. Qui numeri ab Lampsaceno utrum recte computati sint necne, exquirendum est. Nam inter multos scriptores omnes copias, quibus Alexander a. 334 in Asiam transiit, enumerantes[2] Anaximenes summos numeros affert, quadraginta tria milia peditum atque quingentos et quinque milia equitum, cum Arrianus,[3] qui accuratissime numeros prodere videtur, Ptolemaeum secutus triginta milia peditum et quattuor milia quingentos equites tradat. Quodsi reputamus omnino varie ab historicis exercitus numerum computatum esse, Callisthenemque item quadraginta milia peditum numerasse (ut etiam Frontinum IV, 2,4) differentiam magnam ceterorum ita explicemus, ut eos, qui decem milibus minorem numerum prodiderunt, eas copias addidisse negemus, quae in Asia agmini Alexandri accesserant. Nam a. 336 iam Philippus mille milites eo miserat,[4] qui ab Alexandro, ubi regnum adeptus est, nondum revocati erant. Nec hoc cum Polybio consentit, qui distincte dicit a Callisthene narrari, Alexandrum cum quadraginta

---

[1] De fort. Al. or. I. c. 3: *ὡς δὲ Ἀναξιμένης, τετρακισμύριοι πεζοὶ καὶ τρισχίλιοι, πεντακισχίλιοι δὲ καὶ πεντακόσιοι ἱππεῖς.*

[2]

Ptolemaeus (frg. 4 coll. Müller)	30000	pedit.	5000	equit.
Callisthenes („ 33 „ „)	40000	„	4500	„
Aristobulus („ 1 c „ „)	30000	„	4000	„
Diodorus (XVII, 17)	30000	„	4500	„
Iustinus (XI, 6)	32000	„	4500	„
Frontinus (IV. 2, 4)	40000	„	—	„

[3] Exp. Al. I, 11, 3.

[4] Diod. XVI, 91: *Ἄτταλον καὶ Παρμενίωνα προαπέστειλεν εἰς τὴν Ἀσίαν μέρος τῆς δυνάμεως δοὺς καὶ προστάξας ἐλευθεροῦν τὰς Ἑλληνίδας πόλεις.* Trog. Pomp. prol. IX: „quum bella Persica moliretur, praemissa classe cum ducibus" . . . . . Quarum copiarum praemissarum fuisse decem milia prodidit Polyaen. V, 44.

milibus peditum ex Macedonia profectum esse. Tamen, quod historiae Alexandri saepe leviter et negligenter retractatae sunt, errore Alexandro tantas copias ex Macedonia eunti tributas esse putare possumus, quantas, cum milites antea missos addidisset, se habere in Asia recensu acto recognosceret. Hoc fere modo differentias scriptorum Droyseni[1] ratiocinationibus adiuti explicemus. Mihi sane probabilius videtur Anaximenem omnes, quas habebat Alexander in Asiam iturus, copias computasse, alios scriptores copias in Macedonia relictas de summa deduxisse. Narrat enim Diodorus[2] regem duodecim milibus peditum et mille quingentis equitibus in Macedonia relictis cum triginta milibus peditum, tribus milibus quingentis equitibus in Asiam transiisse. Quodsi hos numeros in summam redigimus, calculum ferme Anaximenis habemus.

Altero autem fragmento nihil discimus nisi nomen gladii Persarum, cuius Auaximenes in primo libro mentionem fecisse dicitur.[3]

Restat igitur tertium fragmentum e libro secundo excerptum, quo ab Anaximene orationem Alcimachi, cui responsum dedisset Demosthenes, in medium allatam esse accepimus.[4] Quod non, ut voluit Geier,[5] ad res ante

---

1 Hermes XII (1877) p. 226 sqq.

2 XVII, 17.

3 Harpocr., *Ἀκινάκης. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους. Περσικὸν ξίφος ἐστίν· καὶ Ἀναξιμένης ἐν α' τῶν περὶ Ἀλέξανδρον.*

4 Idem *Ἀλκίμαχος. Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Εὐέργου καὶ Μνησιβούλου. Στρατηγὸς οὗτός ἐστιν, Ἀναγυράσιος τὸν δῆμον, στρατηγήσας ἐν τῷ πρὸς Φίλιππον πολέμῳ. Ἕτερος δέ ἐστιν Ἀλκίμαχος Μακεδών· οὗ μνημονεύει Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου οὕτως. „Ἀλκίμαχον καὶ Ἀντίπατρον Ἀθηναίους καὶ προξένους ἐποιησάμεθα“. Ἀναξιμένης δὲ ἐν τῇ β' τῶν περὶ Ἀλέξανδρον ἐνέγραψεν αὐτοῦ δημηγορίαν, πρὸς ἣν ἀντειπεῖν φησι Δημοσθένην.*

5 Alex. M. histor. script. p. 286.

Thebarum excidium Athenis factas pertinet, sed tribuendum est anno 333. Etenim, postquam Amphoterus Aristomenem, Persarum navibus praefectum, qui in Hellespontum pervenerat, auctumno fugavit, Alexander, cum etiam in mari ad meridiem sito hostem petere vellet, ad classem novam constituendam praecipue Graecarum urbium naves ex foedere missas adhibuit.[1] Itaque ad Athenienses quoque legationem, cui interfuisse Alcimachum Ol. 111, 4 = 333/2 decreto cognoscitur,[2] cum epistola misit, qua naves longas a senatu populoque Atheniensium peteret. Quas ut darent, quoniam subterfugiendi rationem nullam videbat, Phocion civibus suasit,[3] Demosthenes autem oblocutus est, cum incertum esse diceret, num quando Alexander contra Athenienses acturus esset naves.[4]

Videmus igitur Anaximenem in Alexandri historia copiose tractasse res gestas, si quidem non modo, quae facta erant, descripsit, sed etiam orationem Alcimachi coram populo habitam interposuit. Quaerentibus autem nobis, cur idem Demosthenis responsum adiungere neglexerit, duabus causis ita egisse videtur, et quod ad Alexandrum celebrandum inimici orationem non aptam putabat, et quod legatum ad Alexandrum reversum suam orationem Anaximeni historiographo tradidisse verisimillimum est.

De argumento praeterea nihil cum probabilitate disseri potest. Anaximenem autem, quem geographiam adamasse

---

[1] Curt. III, 1,19 sqq.

[2] C I A II, 227. Civitatem ab Atheniensibus Alcimacho, cum legatus in urbe versaretur, datam esse coniecit Schäfer III, p. 32. Adn. 2. (revidierte Ausgabe. Leipzig 1887).

[3] Plut. Phoc. c. 21.

[4] Vit. X orat. p. 847 c: *Στρατευομένῳ δ'αὐτῷ* (Alexandro) *ἐπὶ Πέρσας καὶ αἰτοῦντι ναυτικὸν παρ' Ἀθηναίων ἀντεῖπεν* (Demosthenes) *ἄδηλον εἰπών, εἰ οὐ κατὰ τῶν παρασχόντων χρήσεται.*

fragmenta Philippicorum testimonio sünt, imprimis in Alexandri historia regiones novas et amoenas earumque mirabilia diligenter et libenter descripsisse verisimile est, nec tamen, quamquam sine dubio multa ex Anaximenis historia in Strabonis et Plinii [1] opera manaverunt, in fragmentorum paupertate demonstrari potest.

Anaximenes porro, ut erat favoris commodique captator, qui res, übi primum sunt gestae, litteris statim mandabat, ea sola, quae ei proxima erant, i. e. quae ad Graecos Macedonesque spectabant, historiis suis de Philippo et de Alexandro scriptis videtur tractasse, superatos autem populos neglexisse, quod rhetori celeriter scribenti et materia et diligentia deerant. Nam Ephorum primum et solum ait Polybius [2] omnium populorum tum notorum res describendas in historiis suis suscepisse.

Nunc ad eam partem disputationis transeamus, qua scrutari conemur, quando scriptae sint Anaximenis historiae. Initium autem capiamus ab historia Alexandri, quia hoc solum opus quando conscriptum sit, effici posse spes est. Etenim Arrianus, [3] cum inter rerum Alexandro gestarum scriptores Ptolemaeum et Aristobulum ob hanc causam imprimis fide dignos esse existimaret, quod cum expediti-

---

[1] Laudat eum auctorem Plinius ad libr. XII et XIII, ubi de arboribus Asiae agit.

[2] V33: *Ἔφορος ὁ πρῶτος καὶ μόνος ἐπιβεβλημένος τὰ καθόλου γράφειν.*

[3] Exp. Al. I, 2: *Ἄλλοι μὲν δὴ ἄλλα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ἀνέγραψαν, οὐδ᾽ ἔστιν ὑπὲρ ὅτου πλείονες ἢ ἀξυμφωνότεροι ἐς ἀλλήλους. ἀλλ᾽ ἐμοὶ Πτολεμαῖός τε καὶ Ἀριστόβουλος πιστότεροι ἔδοξαν ἐς τὴν ἀφήγησιν, ὁ μὲν ὅτι συνεστράτευσε βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ, Ἀριστόβουλος. Πτολεμαῖος δὲ πρὸς τῷ ξυστρατεῦσαι ὅτι καὶ αὐτῷ βασιλεῖ ὄντι αἰσχρότερον ἢ τῷ ἄλλῳ ψεύσασθαι ἦν· ἄμφω δέ, ὅτι τετελευτηκότος ἤδη Ἀλεξάνδρου ξυγγράφουσιν αὐτοῖς ἥ τε ἀνάγκη καὶ ὁ μισθὸς τοῦ ἄλλως τι ἢ ὡς συνηνέχθη ξυγγράψαι ἀπῆν.*

onibus Alexandri interfuissent, post mortem regis eas descripsissent, ut neque necessitate neque mercede adducti aliter scriberent, atque res evenisset, confirmat Anaximenem, quem Alexandri comitem fuisse ferunt, non post decessum eius res gestas conscripsisse, sed illo vivo, id quod ad sophistae animum, qui semper laudem vel commodum aucupatus sit, optime quadrat.[1] Quae cum ita sint, historia Alexandri ab auctore ex singulis commentariis, quos de rebus a Macedonibus bene gestis conscripserat, composita esse videtur, et Anaximenes in iis numerandus est, qui sive Alexandri iussu sive, ut illius favorem sibi pararent, de proeliis libellos conscripserunt conscriptosque ut epistolas in Graeciam miserunt. Eodem enim modo Callisthenis quoque de Alexandro historiae inter expeditiones scriptae et divulgatae sunt.[2] Et Droysenius iure monuit, quod maxime Alexandri interfuisset de eis, quae gesserat, a scriptoribus sollertibus sibique deditis in Graeciam referri, ab eo auctores illos adiutos esse.[3] Atque summa

---

[1] De sophistarum moribus Aristoteles Soph. el. I, 165 a. 21: *ἔστι γὰρ ἡ σοφιστικὴ φαινομένη σοφία, οὖσα δ'οὔ, καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ'οὐκ οὔσης.*

[2] Hoc Droysen evidenter ostendit. Gesch. des Hellenismus. II. Teil. II. Halbband. 2. Auflage. Gotha 1877. p. 397 sqq.

[3] l. l. p. 381: „Für die Politik Alexanders war und blieb die öffentliche Meinung in Griechenland ein zu wichtiger Faktor als dass man sie dem Zufall und dem Einfluss feindseliger Auffassungen hätte Preis geben dürfen. Je langsamer sich die Ereignisse der ersten zwei Kriegsjahre entwickelten und je weiter hinweg die späteren das Heer führten, desto dankenswerter musste es sein, wenn Schriftsteller von Talent und begründetem Ruf sich bereit fanden, die fortschreitenden Ereignisse mit ihren Publikationen zu begleiten, in denen sie die Zusammenhänge und die Bedeutung grösserer Abschnitte der Kriegführung in der Auffassung wie sie im makedonischen Hauptquartier war, in den Formen und mit der rhetorischen Virtuosität, die dem Geschmack des griechischen Publikums entsprach, darlegten."

cura Alexandrum providisse, ne male iudicarent, qui de factis suis Graecos certiores facerent, vel inde cognosci potest, quod postea etiam ex militibus eos, qui Philota et Parmenione occisis epistolas regi adversas domum scripserant, poenis militaribus affecit.[1] Et de hac re satis dictum.

Sed verisimile videtur Anaximenem iam prius dicendi et scribendi facultatem exercitationemque ad Philippum, regem Macedonum gloria et eventu magnum, adiuvandum adhibuisse, a quo praemiis et honoribus affectum se iri sperabat. Qua spe eum non deceptum esse documento est, quod a Philippo ad aulam regiam accitus est. Neque ab imperatoribus rhetoras claros ad res suas describendas in contubernium vocari novum aut inauditum tum fuit. Isocratem quidem, Timothei comitem, de rebus gestis eius ad Athenienses litteras dedisse donumque magnum adeptum esse auctor vitarum decem oratorum memoriae prodidit.[2] Xenophontem quoque verisimile est propterea in cohorte Agesilai tam diu versatum ac postea publice praemio donatum esse, quia novus Agamemno Homero tamquam praecone rerum suarum carere nolebat. Horum igitur exemplo factum est, ut Anaximenes, cum libellos quosdam de iis, quae Macedones praestiterant, Graecis conscripsisset, a Philippo ad persequendas res domum regiam advocaretur.

---

[1] Diod. XVII. 80,4: *ἐπιλεξάμενος ἐκ τῶν Μακεδόνων τοὺς ἀλλοτρίας κατ' αὐτοῦ προϊεμένους φωνὰς καὶ τοὺς ἠγανακτηκότας ἐπὶ τῷ τοῦ Παρμενίωνος θανάτῳ· πρὸς δὲ τούτοις τοὺς ἐν ταῖς ἀποσταλείσαις εἰς Μακεδονίαν ἐπιστολαῖς ἀλλότριόν τι γεγραφότας τοῖς οἰκείοις περὶ τῶν τῷ βασιλεῖ συμφερόντων εἰς ἓν κατέλεξε σύστημα καὶ προσηγόρευσεν ἀτάκτων τάγμα.*

[2] Isocr. p. 330: *σὺν ᾧ* (Timotheo) *καὶ πολλὰς πόλεις ἐπῆλθε συντιθεὶς τὰς πρὸς Ἀθηναίους ὑπὸ Τιμοθέου πεμπομένας ἐπιστολάς, ὅθεν ἐδωρήσατο αὐτῷ τάλαντον τῶν ἀπὸ Σάμου περιγενομένων.*

Tamen Philippica ad finem adducta et edita esse non prius possunt, quam Alexander Persas devictos in suum exercitum (ann. 324) recepit, quod haec res in primo libro respecta est. Ergo Philippica post historiam Alexandri conscriptam publicata sunt, quanto autem, nequit diiudicari.

Quoniam igitur, quantum fieri poterat, quo tempore scriptae essent historiae Anaximenis, explicavimus, nunc de fide et auctoritate disseremus.

Hic autem valde est dolendum ex fragmentis tam exiguis non multa concludi posse. Hoc tamen elucet, Anaximenem, quibus locis eadem atque alii prodit, non narrare cum damno veritatis. Nam numerum, quem de Perdiccae regni spatio attulit, ad veritatem propius accedere quam aliorum supra[1] vidimus. Et, qui factum sit, ut ab aliis alii numeri magnitudinis exercitus Alexandri proderentur, facile perspicitur.[2] Nec diiudicari potest, utrum a Solone iam laudationes funebres profectae sint necne.

Ac ne veterum quidem iudicia de Anaximenis fide et auctoritate inveniuntur. Itaque aliunde verum est concludendum. Imprimis digna fide scriptoribus antiquis visa apparet, quae Anaximenes de urbium terrarumque situ narraverat. Strabo enim geographus eo auctore usus est,[3] et Harpocratio in nominibus urbium definiendis ad eum recurrit.[4]

Nec vero aequam fidem habuerunt, quae de suae aetatis rebus gestis prodiderat. Neque enim assentatione et exaggeratione, quibus vitiis tum scriptores rerum Macedonicarum fautores aegrotabant, videtur caruisse. Neque

---

[1] p. 60 sqq.
[2] Vid. supra p. 72 sq.
[3] Vid. supra p. 54 sqq.
[4] s. v. *Καβύλη* et *Μύρτανον*.

enim, nisi his moribus fuisset, a Philippo in aulae regiae societatem accitus esset.[1] Atque Arrianus, cum suo operi auctores eos eligeret, qui expeditionibus Alexandri interfuissent, non Anaximenem secutus est, sed Ptolemaeum et Aristobulum, quod mortuo demum Alexandro historias conscripsissent itaque iis neque necessitas neque praemium mendacii esset.[2] Quod Athenaeus, qui scripta Anaximenis inspiciebat, paucas ex iis res easque aetatis praeteritae excerpsit,[3] cum ex Theopompo florilegio suo infamiarum duodetriginta fragmenta insereret, testimonio est Anaximenem in offensionem hominum potentium incurrere veritum res mali exempli omisisse.

Quoniam verisimile esse cognovimus Anaximenem cauto subtilique iudicio rerum gestarum veras causas percensere omisisse, porro efficiendum est eum viros fortes animis optimis generosissimisque impulsos agentes induxisse neque causarum veritatem ut Theopompum patefecisse, quem testatur Dionysius omnibus scriptoribus accuratius et prudentius non modo apertas agentium causas, sed etiam occultas detexisse.[4]

Fabula quoque Anaximenem in numero adulatorum

---

[1] Vid. supra p. 23.

[2] supra p. 75 adn. 3.

[3] p. 48, p. 54 adn. 1, p. 61 adn. 1.

[4] Dion. Hal. ad. Cn. Pomp. p. 132: *Τελευταῖόν ἐστι τῶν ἔργων αὐτῶν καὶ χαρακτηριστικώτατον, ὅπερ οὐδενὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οὕτως ἀκριβῶς ἐξείργασται καὶ δυνατῶς, οὔτε τῶν πρεσβυτέρων οὔτε τῶν νεωτέρων. τί δὲ τοῦτ' ἔστιν; τὸ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν μὴ μόνον τὰ φανερὰ τοῖς πολλοῖς ὁρᾶν καὶ λέγειν, ἀλλ' ἐξετάζειν καὶ τὰς ἀφανεῖς αἰτίας τῶν πράξεων καὶ τῶν πραξάντων τὰς διανοίας καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, ἃ μὴ ῥᾴδια τοῖς πολλοῖς εἰδέναι, καὶ πάντα ἐκκαλύπτειν τὰ μυστήρια τῆς τε δοκούσης ἀρετῆς καὶ τῆς ἀγνοουμένης κακίας· καί μοι δοκεῖ οὐδ' ὁ μυθευόμενος ἐν Ἅιδου τῶν ψυχῶν ἀπολυθεισῶν τοῦ σώματος ἐξετασμὸς ἐπὶ τῶν ἐκεῖ δικαστῶν οὕτως ἀκριβὴς εἶναι ὡς ὁ διὰ τῆς Θεοπόμπου γραφῆς γιγνόμενος.*

regis posuit. Multi enim scriptores in comitatu Alexandri erant, qui assentatiuncula quadam regis gratiam aucuparentur gloriamque eius cum damno veritatis divulgarent.[1] In hoc numero ponendum esse apparet etiam rhetorem Anaximenem, cui ad regem potentissimum celebrandum non iam solutam orationem sibi satis esse, sed etiam versus adhibendos putavit.[2] Quem, cum Alexander Achillem beatum dixisset, quod Homerum praeconem rerum gestarum suarum invenisset, se quoque illius gloriam pervulgaturum promisisse fabula fert,[3] Macedonem autem respondisse apud Homerum Thersitem se esse malle quam apud tales Achillem.

Huc spectant, quia ad fidem Anaximenis demonstrandam conferre videntur, ea quoque, quae Eusebius Porphyrium secutus posteris tradidit,[4] Ephorum ex Daimacho, Callisthene, Anaximene multa ad verbum exscripsisse, atque de eius furto Lysimachum et Alcaeum iambographum egisse.[5] Qui autem primo loco hic ponitur, fieri non potest, ut is ab Ephoro exscriptus sit, quod Daimachus

---

[1] Cf. de horum assentatorum scriptis Alexandri iudicium, quod legitur apud Lucian. (Quomodo hist. scr. s. 40, p. 268 Didot): *Ἀλεξάνδρου γοῦν καὶ τοῦτο ἀπομνημονεύουσιν, ὃς „Ἡδέως ἂν“ ἔφη, „πρὸς ὀλίγον ἀνεβίουν, ω Ὀνησίκριτε, ἀποθανὼν ὡς μάθοιμι, ὅπως ταῦτα οἱ ἄνθρωποι τότε ἀναγιγνώσκουσιν· εἰ δὲ νῦν αὐτὰ ἐπαινοῦσι καὶ ἀσπάζονται, μὴ θαυμάσῃς· οἴονται γὰρ οὐ μικρῷ τινι τῷ δελέατι τούτῳ ἀνασπάσειν ἕκαστος τὴν παρ' ἡμῶν εὔνοιαν.“*

[2] Vid. infra p. 83 sq.

[3] Vid. supra p. 25 sq.

[4] Euseb. Praep. evang. p. 464 Colon.: *Τί γὰρ Ἐφόρου ἴδιον, ἐκ τῶν Δαϊμάχου καὶ Καλλισθένους καὶ Ἀναξιμένους αὐταῖς λέξεσιν ἔστιν ὅτε τρισχιλίους ὅλους μετατιθέντος στίχους.*

[5] Id. p. 467: *Λυσιμάχου ἔστι δύο περὶ τῆς Ἐφόρου κλοπῆς· Ἀλκαῖος δὲ ὁ τῶν λοιδόρων ἰάμβων καὶ ἐπιγραμμάτων ποιητὴς παρῴδηκε τὰς Ἐφόρου κλοπὰς ἐξελέγχων.*

Seleuci demum temporibus Indica sua edidit.[1] Nec vero quidquam impedit, quin Callistheni et Anaximeni furtum facere potuerit. Illius enim Alexandri historiae in expeditionibus scriptae, priusquam regi in odium venisset, iam dilatae et pervulgatae sunt.[2] Atque hunc, ubi primum acciderunt, res gestas notasse atque etiam Plilippica non multo post mortem Alexandri edidisse verisimillimum est.

Qui vero factum est, ut Porphyrius sive, quicunque illius auctor fuit, ad illam criminationem perveniret? Cuius rei aliquam causam habuisse nemo non dicat. Equidem puto illum, cum in operibus horum quattuor virorum multas similitudines invenisset, furta ei attribuisse, quem talia facere consuevisse constabat. Constitisse autem Ephori furta Lysimachi libro *περὶ κλοπῆς* et iambis criminosis Alcaei ipse Porphyrius comprobat. Et hanc criminationem iure quodam Ephoro impositam esse nuper Bauerus demonstravit, cum continuas partes ab eo ex Herodoto translatas esse ostendisset.[3] Prorsus igitur est credibile eundem ex Anaximene non pauca ingenti suo operi inseruisse. Nam, cum ipse itinera non fecisset neque locorum situm contemplatus esset,[4] de suae aetatis rebus gestis auctores eos elegisse prodidit, quos fide dignissimos censebat,[5] scilicet eos, qui regiones, in quibus Macedones res bene gerebant, cognoverant.[6] Ipse enim

---

[1] Müller. F H G. II, 440 sqq.

[2] Vid. supra p. 76.

[3] Benutzung Herodots durch Ephoros bei Diodor. Jahrb. f. Philol. Suppl. X, p. 279—342.

[4] Vid. Kluegmann. De Ephoro historico Graeco. Diss. inaug. Gotting. 1860 p. 32.

[5] frg. 2 (Müller): *περὶ μὲν γὰρ τῶν καθ' ἡμᾶς γεγενημένων τοὺς ἀκριβεστατα λέγοντας πιστοτάτους ἡγούμεθα.*

[6] Cf: *Ἔφορος φησίν, εἰ δυνατὸν ἦν αὐτοὺς* (sc. rerum scriptores) *παρεῖναι πᾶσι τοῖς πράγμασι, ταύτην δὴ διαφέρειν πολὺ τῶν ἐμπειριῶν.*

Choerilum poetam, quem Alexandrum comitatum esse notum est, auctorem attulit.[1] Ergo Anaximenis quoque scripta, praesertim si hic confestim ex rebus magnis gestis partes quidem historiarum suarum divulgabat et apud reges versans ex ipsis commentariis regiis haurire poterat, ab Ephoro usurpata esse verisimillimum est. Eadem controversia est inter Ephorum et Aristotelem rerum publicarum scriptorem. Nam cum hoc Ephori fragmenta nonnulla adeo congruunt, ut alii philosophum rhetoris opera inspexisse putaverint, alii hunc illius. Nuper autem, cum ad hanc rem disceptandam Aristotelis πολιτεία τῶν Ἀθηναίων felici casu inventa suppeditet, Wilamowitzius[2] utrumque scriptorem ob eam causam consensisse recte evicit, quod iisdem fontibus usi essent.

Similiter, quod Anaximenes, quippe qui in comitatu Alexandri, non Philippi fuerit, in rebus Philippicis conscribendis ipse alienorum descriptionibus indigebat, Ephorum eo non saepe uti potuisse putamus — nam scripsit Ephorus usque ad Perinthum a Philippo oppugnatam — utriusque consensum inde ortum esse nobis persuadebimus, quod iisdem fontibus sint usi. Etenim Ptolemaeus quoque et Clitarchus, quamquam suis ipsorum consiliis et iudiciis historias tractabant, tamen in multis rebus tantopere consenserunt, — id quod ex operibus Arriani, qui Ptolemaeum, et Diodori, Curtii, Iustini, qui Clitarchum secuti sunt, elucet — ut ex litteris publicis rege concedente scriptores sua hausisse Droysenius iure coniecerit.[3]

---

[1] Frg. 76.

[2] Aristoteles und Athen. I. Band. Berl. 1893 p. 304 sqq.

[3] Gesch. d. Hellen. II. Halbb. 2. Aufl. Gotha 1877 p. 384 sq. Cf. Jul. Kaerst, Forschungen zur Gesch. Alex d. Gr. Stuttgart 1887 p. 68 sq. et p. 85.

c) De poeta Anaximene.

Quae antiquissimis temporibus Achilles fortiter constanterque praestiterat, ea non rerum scriptor verissimus, sed poeta excogitatione et inventione adiutus posteritatis admirationi tradiderat. Et Alexandri gloriae cupiditas, quae Achilli invidebat, quod Homerum praeconem rerum suarum invenisset[1], ingenium poeticum Graecorum incitare maxime contendebat.[2] Scriptores autem, quorum regi potentissimo et liberalissimo placere intererat, res gestas eius non modo historiis narrare et edere, sed etiam carminibus praedicare et pervulgare studebant. Quibus ex carminibus fabulas multas, quae de Alexandro postea circumferebantur, emanasse Creuzerus non improbabiliter coniecit.[3]

Nec vero ad horum temporum iudicium poema tale pervenit, de quo genere veteres male iudicaverunt. Choerilus enim ab iis malus epicus Homero perfectissimo opponitur.[4] Etiam Anaximenes in pessimorum poetarum numero Epicurei *περὶ ποιημάτων* testimonio habetur. Legimus[5]

---

[1] Quanti fecerit Homerum Alexander, Plut. vit. Al. c. 8 et 15 et 26.

[2] Cf. Arr. exp. Al. III, 1, 4. III, 5, 2. VII, 14,1 et 10. Plut. Alex. c. 43.

[3] Die hist. Kunst der Griech. in ihrer Entsteh. u. Fortbildung. 2. Ausgabe. Leipz. u. Darmst. 1845. p. 387.

[4] Hermias ad Plat. Phaedr. p. 112. Horat. epist. II, 1, 233 sq. art. poet. 357.

[5] Wiener Studien X. 1888 p. 3: *Ὁ αὐτὸς* (sc. Alexander) *ἐλθὼν εἰς Ἴλιον καὶ θεασάμενος τὸν Ἀχιλλέως τάφον στὰς εἶπεν· „ὦ Ἀχιλλεῦ ὡς μέγας ὢν μεγάλου κήρυκος ἔτυχες Ὁμήρου!“ παρόντος δὲ Ἀναξιμένους καὶ εἰπόντος· „καὶ ἡμεῖς σε, ὦ βασιλεῦ, ἔνδοξον ποιήσομεν, „ἀλλὰ νὴ τοὺς θεούς“, ἔφη, „παρ' Ὁμήρῳ ἐβουλόμην ἂν εἶναι Θερσίτης ἢ παρὰ σοὶ Ἀχιλλεύς.“*

enim in papyro Herculanensi n. 994 (Fiorelli collectio altera. tom VI, fol. 174): ὑπο-λάμβανε κ[ατ]ὰ [τ]ὸ συνέ-χ[ο]ν καὶ κυ[ρι]ώτα[τον τῶν ἐμ πο[η]τ[ι]κ[ῆι] δια-φέρειν Χοιρίλον καὶ Ἀνα-ξιμένην Ὁμήρο[υ] καὶ Καρκίνον καὶ Κλε[αί]νε-το[ν Ε]ὐριπίδου καὶ τοὺς ἄλ[λους] τοὺς πονηροὺς ἐν ποητικῆι [τ]ῶ[ν] ἀρ[ίστων.

Et ipse Alexander Anaximenem, quamquam ad illum celebrandum artem poeticam subierat, nihil praestitisse intellexisse narratur in gnomologio illo a Leone Sternbachio edito, ubi recte observat Usenerus Alexandri responsum sale cariturum esse, nisi Anaximenis de Alexandro poema epicum famosissimum fuisset.[1]

Etiam de poeta κατ' ἐξοχήν, de Homero, scripsisse Anaximenem auctor est Dionysius Halicarnassensis[2], unde

---

[1] Rheinisch. Mus. 43 p. 150: „Die Antwort des Alexander würde des Salzes entbehren, wenn es nicht ein allgemein bekanntes, übel beleumundetes Alexanderepos des Anaximenes gegeben hätte."

[2] De Isaeo iud. 19 (Rec. Kiessling. vol. V, p. 626): Anaximenes) περὶ τοῦ ποιητοῦ συντάξεις καταλέλοιπε.

Num Anaximenes discipulum suum Timolaum exhortatus est, ut Homerum vexaret his versibus interpositis?

μῆνιν ἄοιδε, θεά, Πηληιάδεω Ἀχιλῆος
ἣν ἔθετο Χρύσου κεχολωμένος εἵνεκα κούρης,
οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε
μαρναμένοις, ὅτε Τρωσὶν ἄτερ πολέμιζον ἄνακτος.
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἕκτορος ἐν παλάμῃσι δαϊζομένων ὑπὸ δουρί.

Antonius Westermann Vitarum scriptores Graeci minores. Brunsvigae 1845 p. 356 sq.

eum societate studiorum cum Zoilo coniunctum esse concludi potest.

Nec vero proditur, cuius rationis fuerit haec occupatio. Sed, ut alios illius aetatis philosophos et sophistas, Anaximenem quoque id spectasse putes, ut difficultates et inconstantias Homeri indagaret et odoraretur atque, ut erat illorum temporum, pueriliter solveret.[1] Homerum huius iudicio Chium fuisse apud auctorem vitae Homeri est.[2]

d). De Anaximene pseudepigrapho.

Etiam philosophiae opusculum nonnulli nostrae aetatis scriptores Anaximeni assignare volunt.

Blassius[3] enim, ut iam Heerenus,[4] Stobaei ex illo excerpta, quae ad vitam moresque spectant, ad philosophiae quoddam opusculum referenda esse neque in historiis Anaximenis fuisse censet.

Sed philosophiae scriptum ne is quidem enumerat, qui id agit, ut Lampsaceni genera scribendi maxime varia diversissimaque ostendat, Dionysius Hal.[5] Itaque Anaximeni de philosophia opus nisi necessitate coactis attribuendum esse non opinor. Fragmentum quidem illud, quod commendatio quasi est rhetoricae verboseque dicitur[6], et fragmen-

---

[1] Vid. K. Lehrs. De Aristarchi studiis Homericis edid. III Lips. 1882 p. 198 sqq.

[2] Westermann l. l. p. 30: *Ἀναξιμένης καὶ Δαμάστης καὶ Πίνδαρος Χῖον τὸν Ὅμηρον ἀποφαίνονται.*

[3] Att. Bereds. 2. Abt. Leipz. 1874 p. 352 et p. 360.

[4] Ioannis Stobaei eclogarum physicarum et ethicarum libri duo. Ad codd. mss. fidem suppleti et castigati, annotatione et versione Latina instructi ab Arn. Herm. Ludov. Heeren. Pars secunda. Gottingae 1801. II: Commentatio de fontibus eclogarum § 16 p. 171.

[5] De Isaeo c. 19.

[6] Vid. supra p. 17.

tum, quo scriptor de se ipse loquitur[1], in rerum gestarum historiam accommodata non sunt. Verum quid impedit, ne auctorem, quem Stobaeus sequebatur, credamus non modo historias Anaximenis, (quem, ni ita se res haberet, fortasse historicum appellare maluisset quam rhetorem) in manibus habuisse, sed etiam orationes eius collectas? In quibus puto, cum esset declamator et causidicus et magister eloquentiae, satis habuisse occasionis talia verba proferendi. Cetera autem fragmenta Stobaei, quorum duobus[2] de invidia, alio[3] de pietate erga parentes, aliis[4] de paupertate agitur, quandoquidem historiae illius aetatis rhetorice sunt scriptae, tam in rerum gestarum operibus quam in orationibus eius fuisse possunt. Antiquorum enim iudicio historias, quae sententiis philosophiae ornatae essent, elegantes iucundasque fuisse satis constat, quod imprimis testantur Dionysii[5] illa Thepompi laude: *πάντα δὴ ταῦτα ζηλωτὰ τοῦ συγγραφέως, καὶ ἔτι πρὸς τούτοις ὅσα φιλοσοφεῖ παρ' ὅλην τὴν ἱστορίαν περὶ δικαιοσύνης καὶ εὐσεβείας καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν πολλοὺς καὶ καλοὺς διεξερχόμενος λόγους.*

Nec vero ad exitum adducenda est disputatio, ante-

---

[1] supra p. 24 adn. 1.

[2] Flor. 38,44 (Recogn. Meineke Lips. 1855—57 vol. II, p. 52): *Ἀναξιμένους· Οἱ γὰρ μετὰ φθόνου κρίνοντες τὸ πρωτεῖον ἀπονέμουσι τοῖς χειρίστοις, οὐ τοῖς βελτίστοις.* 45 *τοῦ αὐτοῦ. Ὅσοι γὰρ τὰ καλῶς ῥηθέντα ἢ πραχθέντα διὰ φθόνον οὐκ ἐπαινοῦσι, πῶς οὗτοι ἂν τοῖς ἔργοις ὠφελήσειαν;*

[3] Ibid. 79,37 (Meineke vol. III p. 86): *Ἀναξιμένους· Οὗτος γὰρ μάλιστα πάντων φιλοπάτωρ ἐστίν, ὅστις ζητεῖ, δι' οὗ μηδὲν λυπήσας τὸν πατέρα πλεῖστ' αὐτὸν εὐφράναιτ' ἄν· τί γάρ ἐστιν δικαιότερον ἢ τοὺς γενέσεως καὶ παιδείας αἰτίους ὄντας ἀντευεργετεῖν;*

[4] Vide supra p. 15.

[5] Ad Cn. Pomp. c. 6 p. 782 sqq.

quam de fragmento Fulgentii[1] iudicium tulerimus. Qui ubi fabulam de Actaeone notam, qua venator, cum Dianam se lavantem vidisset, in cervum conversus a canibus suis devoratus esse fertur, narravit, „Anaximenes“, inquit, „qui de picturis antiquis disseruit, libro secundo ait: Venationem Actaeonem dilexisse; qui cum ad maturam pervenisset aetatem, consideratis venationum periculis, id est quasi nudam artis suae rationem videns, timidus factus est: unde et cor cervi habere dicitur; unde et Homerus ait [Il. α' 225] *Οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην ἐλάφοιο,* id est ebriose, oculos canis habens et cor cervi. Sed, dum periculum venandi fugeret, affectum tamen canum non dimisit; quos inaniter pascendo paene omnem substantiam perdidit; ob hanc rem a canibus suis devoratus esse dicitur.“

Possumusne fragmentum apud Fulgentium servatum Anaximeni attribuere? Interpretatio fabulae notae probabilis facta plane est consentanea animis sophistarum iuniorum, qui cum omnia rationi tribuenda esse statuerent, Euhemerismum qui dicitur mox sequentem praeparaverunt. Similia apud Plutarchum[2] scripta videmus. Ait enim, ubi de oleo naphtha ex faucibus ad Ecbatana emanante agit, hoc fuisse venenum nonnullos dixisse, quo Medea coronam et vestem tinxisset. Quae explicatio fabulae ad rationem

---

[1] Mythologiarum lib. III, 3. Eadem fere Mythogr. II, § 81 tom. I, p. 103. ed. Henr. Bode et Mythogr. III, 7,3 tom. I, p. 198. Haec interpretatio Anaximenis apud Palaephatum fr. 3 legitur. Vid. Schrader. Palaephatea. Berol. (Heinrich) 1894 p. 5.

[2] Al. cap. 35: *Εἰκότως οὖν ἔνιοι τὸν μῦθον ἀνασώζοντες πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦτό φασιν. εἶναι τὸ τῆς Μηδείας φάρμακον, ᾧ τὸν τραγῳδούμενον στέφανον καὶ τὸν πέπλον ἔχρισεν. οὐ γὰρ ἐκ αὐτῶν ἐκείνων οὐδὲ ἀπ' αὐτομάτου λάμψαι τὸ πῦρ, ἀλλὰ φλογὸς ἐγγύθεν παρατεθείσης ὀξεῖαν ἕλξιν καὶ συναφὴν ἄδηλον αἰσθήσει γενέσθαι.*

formata ab Anaximene fortasse profecta est, sine dubio autem primum apud unum ex Alexandri historiarum scriptoribus lecta est. Et Anaximenem res traditas libenter ad rationis usum explicasse ex iis cognovimus, quae de synedrii Amphictyonum nomine dixit.[1] Neque Homerum ibi in medium afferri — quamquam nil nisi verba, quae sunt *κραδίην ἐλάφοιο* ab Anaximene addita esse puto — abhorret ab ingenio eius, qui de poeta libellum conscripsit, cumque de Paeso loqueretur, nomina huic urbi ab Homero data non neglexit.[2] Nihil igitur impedit, quin Anaximeni hoc fragmentum addicamus.

Scripsitne autem de picturis antiquis? Minime vero. Neque enim fieri potuit, ut picturas suae aetatis vel novissimorum temporum antiquas appellaret. In veteres vero picturas, quae fabulas, ut vulgo narrabantur, ita sine dubio perceperint, interpretatio illa utique non quadrat. Tales profecto picturae tum demum pingi potuerunt, cum Euhemerismus hominibus popularis et acceptus fiebat.[3] Polygnoti autem Actaeon, quem Pausanias descripsit,[4] explicationi rationali nullam prorsus ansam dat. Ne opponas inventam esse metopam templi Selinusii quinto saeculo aedificati, quae artificem fabula vulgata neglecta Actaeonem non in

---

[1] Vid. supra p. 54 adn. 2.

[2] Vide supra p. 57.

[3] Euhemerus mortuus est a. 297. De illo Christ (Gesch. der griech. Litter. München 1890) p. 475: „Jene Methode der Mythendeutung, welche ihrem Autor den Vorwurf eines Atheisten eintrug, fand bei den Zeitgenossen und den Späteren vielen Anklang.“

[4] X, 30,3: *Ἐφεξῆς δὲ τῆς Μαίρας Ἀκταίων ἐστὶν ὁ Ἀρισταίου καὶ ἡ τοῦ Ἀκταίωνος μήτηρ νεβρὸν ἐν ταῖς χερσὶν ἔχοντες ἐλάφου καὶ ἐπὶ δέρματι ἐλάφου καθεζόμενοι· κύων τε θηρευτικὴ παρακατάκειταί σφισι βίου τοῦ Ἀκταίωνος εἵνεκα καὶ τοῦ ἐς τὴν τελευτὴν τρόπου.*

cervum versum, sed pelle cervi indutum finxisse documento sit.[1] Haec enim interpretatio a Stesichoro profecta est, qui fabulas poetarum narrationibus populo probatas audacissime suo arbitrio commutabat atque etiam de Actaeone mythum ad rationem correxit, cum hominem in feram converti posse negans Dianam Actaeonis humeris pellem cervi circumiecisse narraret, quo decepti canes eum ut cervum laceravissent.[2] Hic enim bene cognoscitur, quantum Stesichori poetae auctoritas apud incolas Siciliae valuerit. Nam artifices tum demum a fabulis traditis aberrare possunt, cum, quid interpretatio mutata vel correcta vellet, omnes facile intellexerunt.[3] Ergo, quod de Siciliensibus constat, nullo modo ad alios statim populos transferri licet. Atque nego Anaximenem tales imagines antiquas plures sive Athenis sive Lampsaci sive Pellae vidisse. Sed ad inceptum redeo.

Ac ne ille[4] quidem, cuius multiplices Anaximenis occupationes litterarum demonstrare interesset, si idem de picturis scripsisset, hanc speciem commemorare supersedisset.

Nec tamen nomen Anaximenis interpretationi illi ab ipso Fulgentio iniuria additum esse putamus (quamquam auctores, quibus opus esse ei videbatur, invenire non veritus est[5]). Aegre enim nomen creasset, quod ei tam igno-

---

[1] Carl Robert. Bild und Lied. Philolog. Untersuch. Herausg. v. Kiessling-Wilamowitz. 5. Heft. Berl. 1881. p. 24 sqq.

[2] Pausan. IX, 2. 3 = Stesich. fr. 68 (Poet. lyr. Gr. rec. Bergk. Edit. quart. vol. III Lips. 1882): *Στησίχορος δὲ ὁ Ἱμεραῖος ἔγραψεν ἐλάφου περιβαλεῖν δέρμα Ἀκταίωνι τὴν θεὸν παρασκευάζουσάν οἱ τὸν ἐκ τῶν κυνῶν θάνατον, ἵνα δὴ μὴ γυναῖκα Σεμέλην λάβοι* Fabulam hanc peculiari carmine, quod *Ἀκταίων* vel *Ἀκταιωνίς* inscriptum, poeta persecutus videtur.

[3] Cf. Robert l. l. p. 26 sq.

[4] Dionys. Hal. De Isaeo c. 19.

[5] Myth. I, 2 Theopompum et Hellanicum auctores invenit. (Vid. Michael Zink. Der Mythograph Fulgentius. Würzb. 1867.)

tum esset, ut picturis talibus aliquanto iuniorem fuisse Anaximenem opinaretur. Immo nomen huius apud auctorem suum laudatum vidit, et cum nullum opus illius novisset, suo ingenio titulum ad verba allata pertinentem apposuit.

Et apud Fulgentium istud inauditum omnino non est. Saepius enim hanc rationem adhibuit. Mythol. II, 4 Iubae Physiologa[1], Myth. I, 2 Apollophani carmen epicum[2] dedit.

Alium[3] quoque locum huius scriptoris, ubi numerum novem Musarum decimique Apollinis ad humanae vocis modulamina decem, quae dicuntur, referri pueriliter vult, quamquam non Anaximenes, sed Anaximander Lampsacenus laudatur, rhetori vindicare[4] Rossignolius conatus est. Ubi

---

p. 76 sq.), I, 14 Epicharmum (Zink p. 77 sq.) I, 25 Anacreontem (Zink p. 78.) II, 7 Platonem (ibid. p. 85).

[1] Vid. Michael Zink l. l. p. 71: „II, 4 sicut Iuba in Physiologis. Fulgentius las die Stelle des Juba, an deren Echtheit ich nicht zweifle, ebenfalls als Citat bei einem Schriftsteller oder Scholiasten und machte den Titel selbst dazu.".

[2] Idem p. 76: „Den Namen hatte der Autor bei Tertullian gefunden, das Uebrige gab er de suo bei.

[3] Fulgent. Mythol. I, 14, p. 46—47: „Huic etiam Apollini novem deputant Musas ipsumque decimum Musis adiciunt, illa videlicet causa, quod humanae vocis decem sint modulamina; unde et cum decachorde Apollo pingitur cithara. Fit ergo vox quattuor dentibus econtra positis, quos lingua percutit, e quibus si unus minus fuerit, sibilum potius quam vocem reddat necesse est. Duo labia velut cymbala, verborum commoda modulantia: lingua ut plectrum, quae curvamine quodam vocalem format spiritum: palatum, cuius concavitas profert sonum: gutturis fistula, quae tereti meatum spiritalem praebet excursu: et pulmo, qui velut aerius follis concepta reddit ac revocat. Habes ergo Musarum novem vel Apollinis ipsius redditam rationem, sicut in libris suis Anaximander Lampsacenus et Zenophanes Heracleopolites exponunt.

[4] Recherches sur l'ouvrage d'Anaximènes de Lampsaque intitulé: Des Peintures antiques. Revue de Philologie, de Littérature et d'Histoire anciennes. Tome deuxième Paris 1847 p. 515—531.

cum studium ad rationis normam interpretandi simile inesse videamus atque in explicatione fabulae Actaeonis, probabiliter illum coniecisse concedimus. Nam a Fulgentio, homine negligentissimo et dissoluto, Anaximenem, quem laudatum inveniebat, in Anaximandrum mutari potuisse nemo negabit.

Sed haec, quae ex Anaximene petita afferuntur, in historiis primis tractata esse censeo. Hic enim, cum fabulas a poetis scriptoribusque saepe narratas denuo tractaret, artem suam prudenter et nove disserendi ostendere poterat.